

φυσίγναθος; p. 173: *balvus* ὁ ψελλός, *balbae* θύραι, *bellaria* τραγήματα; p. 174: *villus* ὁ μαλλός, *villa* ὁ ἀγρός; *nisi in glossematibus bammo* ὀξύγαρον atque *bambalo* ὁ ψελλιστής; p. 175: *barrus* ἑλέφας, *bardus* ἀναίσθητος, *bargus* ἀφνής, *barba et quod in glossematibus inveni bargina* ἡ προσφώνησις βαρβαρική; *vergiliae* πλειάδες; *berna* . . . ὁ οἰκογενής; p. 177: *bissum etiam, quod integrum significat ἀκέραιον, per b mutam in glossematibus repperi*; p. 178: *battualia quae vulgo battalia dicuntur . . . exercitationes autem militum vel gladiatorum significat. inde etiam battuatores* τοὺς βασανιστάς *dici puto*; p. 180: *rubeta* ὁ φρῦνος; p. 186: *larba* δαιμόνιον, ὄββα ποτήριον; p. 190: *enervo* ἐκνευρίζω; p. 192: *excepto libo id est ποπάνῳ*; p. 193: *vibex* ὁ μώλωψ, *verbex* τὸ πρόβατον. Ex his locis et verbis apparet quam usitatum fuerit grammaticis sexti certe saeculi glossaria consulere. Ceterum de nonnullis harum glossarum docta exstat Buecheleri disputatio in Mus. Rhen. vol. XXXV p. 69. XXXVII p. 33.¹⁾

CAPVT V. DE GLOSSARIIS MEDICOBOTANICIS

§ 17. Hermeneumata medicobotanica quotquot edidi vetustiora vol. III p. 535—633 graecolatina sunt, uti iam ex inscriptionibus plerisque cognoscitur. Velut inscriptio codicis Vaticani reginae Christinae haec est fol. 165^v: *INCIPIVNT HERMENEVMATA de decem speciebus medicamentorum . . . de graeco in latinum translatis*; item fol. 172^v: *INCIPIT HERMENEOMA hoc est interpretatio pigmentorum vel herbarum de multis compositis. Translatum ex graeco in latinum*; in cod. Vatic. 4417 haec: *IN DEI NOMINE INCIPIT NOMINA DE GRECA IN LATINA*. In ceteris ubi legitur 'VOCABVLA HERBARVM' vel 'HERMENEVMMA hoc est interpretatio pigmentorum vel erbarum' vel similis inscriptio, res eadem est: sunt igitur λέξεις graecolatinae, quamvis hic illic latinograecae et latinolatinae immixtae sint. Longe plurimae harum glossarum ad herbas pertinent; excipiendum est unum glossarium, nempe quartum medicoboticum codicis Vaticani 1260 (cf. III praef. p. XXXII), quod fol. 177^r—178^r continetur (v. p. 596—607 editionis nostrae), quippe quod ex maiore parte non tam ad herbas quam morbos spectet. De quibus glossis cum a ceteris valde recedant seorsum agendum esse existimo. Insunt enim excerpta ex scriptoribus pessime habita, quibus explicantur medicorum termini quidam, quod ex parte duce Cassio Felice fieri et dudum in ad-

1) Iam quarto saeculo Hilarium Pictaviensem vestigia quaedam exhibere glossarii graecolatini adhibiti exposuit A. Zingerle Commentat. Woelfflin. p. 215 sqq.

notationibus monueram (cf. vol. VI praef. p. VII) et post me accuratius docuit Otto Probst Philol. t. LXVIII p. 550sq.; cuius disputationem hic illic correctam in eis quae secuntur pro fundamento esse volui.¹⁾ Quam arte hoc glossarium cum Cassii Felicis copiis cohaereat, discas velut ex his glossis III 599, 12/13: *cilica terrogi cata elephantiosus* = III 602, 35: *laviancia ter rogiata*, de quibus desperassem, nisi subvenisset Cassius Felix c. XIII (p. 21, 7): *labia hiantia sive crispata Graeci chile caterrogota vocant*. Vnde apparet in glossis quas attuli scribendum esse *chile caterrogota* [elephantiosus] <labia hiantia> et *labia hiantia chile caterrogota*. Huc etiam III 606, 25 pertinere in Thesauro glossarum emendatarum adnotavi. Alterum locum Probst attulit l. s. s. p. 551; exstat enim III 603, 36 haec glossa: *officidata aqua cum naturali colore*, quam iure ille contulit cum his verbis p. 120, 11 exstantibus: *utendum etiam aquis calidis naturali calore plantatis* — nam Graeci *autofye idata* vocant (= αὐτοφύη ἰδατα): unde elucet *officidata* esse *ofye idata* et ante aut periisse. Ab his exemplis profectus Probst indicem locorum parallelorum proposuit, quorum partem tantum ipse adnotaveram. Quos locos subicere placuit:

Cass. Fel.

p. 596, 10*: *Arania ersipela minor milio similis in cute*; cf. p. 600, 23: *erpinas. i. aranea*.

p. 596, 11: *abile pletoricum*; cf. 604, 24: *pletorum corpus suci plenus*(!)

p. 597, 6: *acoras icar*; cf. p. 598, 35: <α>coras *tineas capitis* (ubi quod proposui *ιχῶρ* falsum esse recte contra me Probst monuit, qui *icar* ex in corio ducit).

p. 597, 10: *aqua timentis ydropici*.

p. 597, 13: *attonia debilitas visicae, quae urinam continere non potest*.

p. 42, 5 sqq.: *Araneas Graeci a serpendo, quod herpin (herpenas g) dicunt herpetas dicunt . . . est et aliud genus herpetis, quem Graeci cenchrias vocant, si quidem in superficie cutis pustulas minutas milio similes ostendit, quam Latini vulgo araneam verrinam (rania vermia c) vocant. in curationibus autem similiter ut erysipelata superius curabis*.

p. 84, 16: *si et plethoricum corpus habuerint aegrotantes, quod nos latino sermone abundabile (habile g p) dicimus sive multitudine suci plenum*.

p. 10, 6: *tineas capitis Graeci achoras vocaverunt. emergunt frequenter in corio capitis*.

p. 166, 9: *hydrofobici . . . i. e. aquam timentes*.

p. 117, 1: *si vero atonia fuerit vesicae i. e. debilitas, subito urinae egerendae delectationem, patiuntur*.

1) Haec dudum scripseram; nunc video de aliquot glossis huius glossarii illustrandis et corrigendis bene meritum esse Maximilianum Niedermann 'Recueil de Travaux publiés par la Faculté des Lettres' septième fascicule (Neuchâtel a. 1918).

- p. 597, 15: *alfus melenis maculae nigrae*.
- p. 597, 18: *acderion* (h. e. ἐκδόριον) *characteras*; cf. p. 598, 28: *characteras macularum in vultu mulierum ostensum* et p. 605, 29: *stigmata acderion*.
- p. 597, 19: *apostema collectio vel vulneratio ex malis humoribus*.
- p. 597, 20: <di>*aquilon fascimentum*.
- p. 597, 22: *agrocordanas verrucas*.
- p. 597, 25: *asmaticus calor pectoris vel suspiriosus*; cf. p. 605, 26: *suspiriosi qui cum labore alenant* (= *anhelant*).
- p. 597, 26: *agresian i temperantia temperis* (quam falso tractavi in thes. gl. em.).
- p. 597, 29: *antracas carbunculus*.
- p. 597, 30: *alfus leucus maculas albas*.
- p. 597, 33: *anadromi matricis ascensio*.
- p. 597, 34: *acinestafle gargarion*; cf. p. 600, 26: *epiclosis uva* et p. 601, 32: *gargarion epiclosis* (cf. Probst Glotta II p. 112).
- p. 597, 36: *apoferasis* (= ἀποφόρησις) *secundatio* (= *secunda detractio* Probst) *sanguinis*.
- p. 597, 38: *anhelitum qui de aliena laborant*; cf. p. 603, 29: *ortompnia anhelitum*.
- p. 597, 45: *alumen lipari alumen liquidus*; cf. p. 602, 43: *lipari alumen liquidus*.
- p. 598, 23: *colfus sinus*; cf. p. 605, 25: *sinus ulcus* et p. 606, 47: *ulcus petigines altitudines pestiferas*.
- p. 598, 29: *cacoetis parotidas aliae curabiles* e. q. 8.
- p. 598, 32: *cacoquemia fialtis* (cf. p. 601, 8: *fialtis quae incibo vexantur pro indigestione vel crudatione ciborum i incoctione*).
- p. 16, 7: *maculas nigras Graeci alphas melaenas vocant*.
- p. 20, 15: *stigmata dicuntur characteres nominati, quos militantium manus vel feminarum Maurarum vultus ostendit. tolluntur vero periculose medicamento discoriatorio, quod Graeci ecdorion vocant*.
- p. 25, 20: *collectiones Graeci apostemata vocant*.
- p. 85, 11: *cerotarium ex diaquilon confectum*.
- p. 19, 17: *secundum Graecos tres differentias habere verrucae ostenduntur, nam dicuntur acrochordones (acrocordanas g)*.
- p. 93, 20: *asthmatici dicuntur latino sermone anhelosi vel suspiriosi*.
- p. 13, 12: (*cantabries*) *emergit frequenter ex . . . intemperantia corporis quam Graeci acrasian vocant*.
- p. 37, 15: *carbunculi quos Graeci anthraces vocant*.
- p. 15, 4: *maculas albas Graeci alphas leucas vocaverunt*.
- p. 188, 17: *ad matricis adscensum . . . quem Graeci anadromen dicunt*.
- p. 75, 9: *si (uva) fuerit rotunda in similitudinem acinae, stafyle a Graecis appellatur, quam nos uvam dicimus . . . identidem si grossa vel vastior fuerit . . . gargareon appellatur*.
- p. 79, 7: *ut secundam detractationem facias, quam epaferesin (apoforasim c) vocant*; cf. p. 40, 15.
- p. 106, 4: *spleneticis et orthopnoicis id est is qui ab splene anhelitum patiuntur*.
- p. 125, 14: *aluminis lipari id est liquidi ./. singulas et semis*.
- p. 28, 9: *pendigines sive sinus Graeci colpus vocaverunt. contingunt frequenter quoties ulcera vel apostemata . . . fuerint . . . mala positione sanata*.
- p. 24, 6: *parotides . . . eveniunt frequenter in aegritudinibus malignis quas Graeci cacoethes appellant*.
- p. 100, 8: *et ad fastidium et ad humoris malignitatem, quam cacoelymian vocant*.

p. 599, 5: *croniotis morbus regius sine febre*; cf. p. 603, 6: *morbo regium ictericum*; p. 603, 35: *oxitis ictoricus cum febre*.

p. 599, 35: *diabitis acceptum potum qui statim per urinam reiectant*.

p. 599, 37: *devilitatio capillorum defluxio vel aliis membris*.

p. 599, 43: *diatoncilidanon medicamen ex hirundinibus factum*.

p. 599, 46: *dispnia ortopniae* (v. *anhelitum*).

p. 599, 48: *deseruntas linuntas*.

p. 599, 53: *diacrisma illinimentum*.

p. 600, 2: *deacarto medicamen*.

p. 600, 6: *edropicus inflatus edropicorum causae sunt III e. q. s.*

p. 600, 11: *edram podicem*.

p. 600, 12: *evismonem proriginem*.

p. 600, 18: *elmingus lumbricus longus in homine*.

p. 600, 18: *emotoicus qui sanguinem reiciunt*.

p. 600, 19: *enema i. eiectio*.

p. 600, 22: *epelemsia subita insensatio et cadens cum spumatione et raptu membrorum*.

p. 600, 27: *enprostotonus mentum qui pectus habet infixum*.

p. 600, 28: *eotropas ragadas*.

p. 600, 31: *empiema encatalemsis*.

p. 600, 33: *ersipelá ignisacer*; cf. p. 601, 43: *ignis acer epulatio pustularum circa cutem*.

p. 600, 49: *egilopas fistola secus oculum nata*; cf. p. 606, 23: *<fis>tolas i. aegilopas* et p. 598, 21: *cademopio fistula* et p. 605, 5: *siringias cademopia*.

p. 128, 6: *icterici dicuntur morbo regio laborantes . . . et sunt ictericorum distantiae duae, una cum febricula, et appellatur a Graecis oxites id est acuta, altera sine febre diuturna, quae appellatur chronites*.

p. 116, 10: *appellatur a Graecis diabetes, siquidem mox potione accepta per urinales vias . . . descendat*.

p. 11, 21: *defluxio capillorum contingit ex debilitate corporis*.

p. 82, 19: *inlinimentum, quod appellant dia ton chelidonon, id est ex hirundinibus*.

p. 94, 1: *dyspnia a Graecis dicitur id est difficultas respirationis, et orthopnia abiter dicitur*.

p. 113, 11: *calculosis, quos lithiontas vocant, et minctus difficultate laborantibus, quos dysuruntas vocant*.

p. 76, 21: *diachrisma . . . id est inlinimentum*. Cf. p. 82, 20.

p. 38, 13: *dia chartu medicamentum*.

p. 181, 4: *est autem hydropica passio diffusio humoris aquosi cum inflatione e. q. s.*

p. 178, 5: *in sessu quem Graeci edran vocant, diversa podicis vitia efficiuntur*.

p. 23, 2: *pruriginem omnem Graeci cnesmonen vocant*.

p. 172, 17: *lumbrici, quos Graeci elminthas dicunt*.

p. 85, 17: *emopyticos Latini sanguinem spuantes appellant*.

p. 132, 25: *enema id est iniectio*.

p. 168, 16: *est autem epilepsia subitus corporis casus cum spumatione et raptu membrorum effectus*.

p. 84, 2: *emprostotonos . . . ut etiam mentum fixum pectori videatur*.

p. 178, 23: *ad condylomata et ragadas . . . quas Graeci ectropas vocant*.

p. 32, 18: *empyemata . . . nam Graeci en catacalypsi (en catalypsin gp) vocant*.

p. 40, 6: *ignis sacer . . . a Graecis erysipelas appellatur*.

p. 82, 11: *ad universas fistulas vel ante oculum aegilopas*; cf. p. 30, 6: *fistulas Graeci syringas appellant*.

- p. 601, 16: *fitiriasis cantabriem*.
- p. 601, 21: *fitisis ulceratio pulmonum vel toracis*; cf. p. 606, 27: *tisica passio vulneratio pulmonis cum defluxione corporis*.
- p. 601, 36: *ichimeda pernionis*; cf. p. 604, 7: *pernionis articularum dolor vel digitorum*.
- p. 602, 14: *idima inflatio in facie aquosa*.
- p. 602, 15: *ilius tumor vel implicatio sentinarum*.
- p. 602, 16: *idrolio aqua cum oleo*; cf. p. 602, 21: *idrolion vinum cum oleo mixtum*.
- p. 602, 33: *lipidasmin squamosa*; cf. p. 605, 34: *squamosa scabies*.
- p. 602, 36: *liptusmia lassitudo*.
- p. 602, 38: *licinas zernas*; cf. p. 607, 6: *zernas derbitas*. Cf. Heraeus Arch. XIV p. 119.
- p. 603, 1: *melancolicus inundatio nigredinum fellis*.
- p. 603, 11: *massuminon mastigaturium*.
- p. 603, 38: *ozenas mala habitudo in naribus*; cf. p. 601, 24: *fetor pessimus odor* et p. 604, 22: *polipum ozenas*.
- p. 603, 44: *oxalmen acetum et sal mixtum*.
- p. 604, 3: *poliesmus plurimum et habundanter fluor sanguinis cum largo cursu*.
- p. 604, 4: *pissada .i. sciada*.
- p. 604, 45: *ragadas diversa vitia ani maxime in sanguinis fluxum*.
- p. 605, 6: *stranguiria quae parvas cum dolore per urinam guttas emittunt*.
- p. 605, 13: *scotomatie graece girus dicitur .i. vertigines nigras patiuntur et cadunt*.
- p. 13, 10: *cantabriem Graeci pityriasin vocant*.
- p. 90, 8: *est autem pthisica passio ulceratio pulmonis et thoracis cum defluxione corporis*.
- p. 18, 2: *Latini perniones . . . Graeci vero chimetla dicunt e. q. s.*
- p. 179, 11: *antiqui seu veteres medici dicunt esse idema, quod nos aquosam inflationem dicimus*.
- p. 131, 16: *ileos . . . molesta cum . . . omnium intestinorum tumore distentio cum tortione*.
- p. 140, 15: *ex ydrelaeo calido, id est ex aqua calida et oleo admixto modico sale*.
- p. 21, 17: *scabiem squamosam dicimus, siquidem corticosas squamulas in cute ostendunt quas Graeci lepidas vocant*.
- p. 33, 13: *cum ingenti animi defectu quem lipothymian vocant*.
- p. 19, 2: *impetigines quas Graeci lichenas vocant, Latini vulgo zernas appellant*.
- p. 16, 11: *ex melancholico humore efficiuntur, id est ex nigri fellis redundantia*.
- p. 64, 4: *apoflegmatismum masticatorium . . . adhibere, quem Graeci masomenon vocant*.
- p. 62, 15: *polypum et ozaenas quas nos fetores narium dicimus*.
- p. 30, 21: *in aceto salso . . . quod Graeci oxalmen vocant*.
- p. 13, 21: *si aetate iuvenes fuerint patientes et secundum naturam plurimo sanguine abundaverint, quos Graeci polyemos vocant*.
- p. 137, 13: *ad ischiadicam et psiadicam*.
- p. 178, 5: *diversa podicis vitia . . . ut sunt ragades*.
- p. 115, 14: *stranguiria, id est urinae paulatim per guttas exclusae*.
- p. 171, 14: *trociscus (conveniens) scotomaticis, id est qui subito ante oculos tenebras patiuntur, et spiritu inflatis epilepticis*.

p. 605, 16: *sclero duria*; cf. p. 605, 27: *scirosis duritia sine dolore*.

p. 605, 18: *siadica* e. q. s.

p. 605, 22: *scerobeta tussis sicca*.

p. 605, 40: *scuria* per quam in totum denegatur urina.

p. 606, 16: *structio litargicus*.

p. 606, 17: *sincopen cardiacus*.

p. 606, 28: *terarizos dentium dolor*.

p. 606, 29: *trasin peduculus*; cf. p. 606, 30.

p. 606, 31: *trociscus rotulus*.

p. 606, 38: *tonotica* (sc. *epithima*) confortatoria (vel sitim tollendam).

p. 606, 41: *tarmicum sternutatio naris*.

p. 606, 43: *topicis localibus propriis*.

p. 607, 3: *vitriola dragantus*.

p. 108, 12: *ad duritiam splenis vel saxietatem, quam Graeci scirrosin dicunt*.

p. 137, 13 (supra).

p. 72, 4: *tussis arida* (sicca p) a Graecis *xerobeche*s appellatur.

p. 115, 13: *ischuria* (scuria cp) i. e. ex toto urinae abstinencia.

p. 156, 12: *sternutatio spissa ex euforbio vel struthio* . . . excitat lethargicos.

p. 157, 2: *aliquanti* . . . hanc passionem (scil. cardiacam) syncopen appellaverunt.

p. 63, 15: *efficiuntur dentium dolores* . . . ut etiam ipsi dentes cavernentur, maxime illi maiores vel molares qui quatuor radicibus fixi esse noscuntur, quos Graeci *tetrarizos* vocant.

p. 11, 14: *pediculosa passio* . . . quam Graeci *pthiriasin* vocant.

p. 64, 8: *rotulas finges*, quas Graeci *trociscos* vocant.

p. 97, 6: (*epithima*) *tonoticon* . . . id est confortatorium.

p. 171, 6: *ptarmico medicamento*, id est sternutatorio, nares . . . apoplegmatisabizis.

p. 63, 8: *topicis medicamentis*, id est localibus proprie ipsis in locis uteris.

p. 19, 10: *trociscus appellatus a Graecis lichenicos* . . . *chalcanthi*, *lepidos aeraminis* e. q. s. (supra scr. p^o: i. *vitriolum*).

Ex eis quae exhibui exemplis, quamvis non eodem iure omnia ad Cassium Felicem revocentur, id unum constat: excerptisse quondam hominem minime doctum illos de medicina libros, inprimis vero ea inde abstulisse quibus latina morborum nomina graecis vocabulis explicantur (ut in his: *tineas* . . . *Graeci achoras vocaverunt, quam Graeci acrasian vocant, quos Graeci anthracas vocant* e. q. s.), et elementorum ordine digessisse; his autem accedit alius auctor, ex quo maxime verbosiores morborum descriptiones desumptae sunt minus corruptae quam quae ex Cassio Felice proveniunt; cf. 596, 1. 4. 8; 597, 1. 9 (inprimis initia singularum litterarum ad hunc auctorem spectant); adpersae sunt etiam glossae mere latinae, ut 597, 39: *assatum sine aqua coctum*; 598, 22: *clavus furunculus* e. q. s. Vnde haec fluxerint, fortasse alii eruent. Nunc satis videor de hoc glossario disputasse.

§ 18. Cetera glossaria medicobotanica medicamenta inprimis continent, qualia praeter omnes Dioscorides in libris de materie medica compositis egregio successu tractavit. Cuius copiae tantam aucto-

ritatem etiam apud Latinos nactae sunt, ut per omnia saecula propagarentur, exciperentur, describerentur. Similis cum his prosapiae, ut taceam de Plinio, qui ex eisdem cum Dioscuride fontibus partem synonymorum hausit¹⁾, est etiam Pseudapulei herbarium, quod quinto saeculo tribuunt docti: cuius verba in eis quae secuntur ex codice Vratislaviensi benigne Ienam transmissio afferam. Glossaria medicobotanica in tres familias dividi possunt. Primae familiae hermeneumata Senensia (p. 542—548) esse moneo, quibus accedunt codicum Vaticani 1260 hermeneumata altera (p. 579—586) et Parisini (p. 631—633), quae etsi non una re differunt, in universum tamen artissimo vinculo cohaerent. Alterius familiae hermeneumata sunt codicum Vaticani 1260 prima (p. 549—579) et Cassinensis (p. 535—542). Tertiae denique familiae hermeneumata tribuo codicum Vaticani 1260 tertia (p. 586—596), Vaticani 4417 (praeter litteras B et C cum glossario primo Vaticani 1260 congruentes; p. 616—630), Bernensis (p. 607—616). Haec nunc hermeneumata eo quem dixi ordine quam paucissimis fieri potest pertractabo.

Igitur glossarium Senense ad eandem familiam pertinere cum glossariis Vaticani codicis 1260 altero et Parisino praeter inscriptionem (Sen.: *Incipit ermeneumma hoc est interpretatio pigmentorum vel erbarum* = Vat.: *Incipit hermeneoma hoc est interpretatio pigmentorum vel herbarum de multis compositis. Translatum ex graeco in latinum* = Paris.: *Incipit hermeneguma idest interpretacio pimentorum vel herbarum diversarum*) velut haec glossarum series demonstrat:

Sen.	Vat.	Paris.
<i>Arsicon auripimento</i>	= 579, 2	= 631, 2
<i>Ambrosia appio rustico</i>	= 580, 18	
<i>Arnoglossa plantagine</i>	= 580, 4	= 631, 6
<i>Alterdus iusquiamo</i>	= 580, 5	= 631, 7
<i>Adrugne portolaca</i>	= 580, 6	= 631, 8
<i>Absto calce</i>	= 580, 7	= 631, 9
<i>Agluslotis id est pionia</i>		
<i>Alos antis flos salis</i>	= 580, 31	= 631, 10
<i>Adarcis quod supra</i>		= 631, 10
<i>Artes idem dictamnu</i>		
<i>Ancimis camemola</i>	= 580, 8	= 631, 11
<i>Abdius barba Iovis</i>	= 580, 9	= 631, 12
<i>Arnia agnine carne</i>		
<i>Aizos quod supra</i>		= 631, 12
<i>Artiotitas pomas iuniperi</i>	= 580, 1	= 631, 3
<i>Agnasfagne portolaica</i>		

1) Cf. de tota hac re Wellmanni disputationem Hermae tomo XXXIII (a. 1898) insertam.

<i>Ampelus leuco vitis alba</i>	= 580, 10	= 631, 13
<i>Ampelus melina vitis nigra</i>	= 580, 11	= 631, 14
<i>Agrestis hoc est lambrusca</i>		
<i>Agnuspermo semen salicis marini</i>	= 580, 12	= 631, 15
<i>Asaro bulgagine</i>	= 580, 13	= 631, 16
<i>Ales idest salis</i>		
<i>Asfodilo albutio</i>	= 580, 14	= 631, 17
<i>Adragnis idem portulaca</i>		
<i>Anagallis lulio</i>	= 580, 16	= 631, 19
<i>Actis sambucus ebulum</i>	= 580, 30	
<i>Amurca idem fete olei</i>		
<i>Agrustis gramen</i>	= 580, 21	
<i>Alumen scissum</i>	= 580, 22	
<i>Alumen album</i>		
<i>Alu tamisans</i>		
<i>Arteros ameos flores de ameo</i>	= 580, 26	
<i>Agrius canape</i>	= 580, 17	= 631, 21
<i>Amolu flos farine</i>		
<i>Adarciscippel gariofoli</i>	= 580, 28	
<i>Acris locusta</i>		
<i>Apoquima sorditia de nave</i>	= 580, 15	= 631, 18
<i>Ampilopraso vissicata acliis</i>		
<i>Anifatu musto usto</i>		
<i><A>sparigus</i>		
<i>Amaron calamedria</i>	= 580, 3	
<i>Argemonia arestolotia longa</i>	= 580, 19	
<i>Aranello ampilo prasso</i>		
<i>Altea evisca</i>		
<i>Apostema collectio</i>		
<i>Agnusperma fructus verni</i>		
<i>Asimtin absentio</i>		

Quae codex Senensis peculiaria habet, aliunde recepta videntur; ut 542, 15: *arnia agnina carne*; nam quod sequitur *aizos quod supra* pertinet ad 631, 12 et cum *abdius barba Iovis* in cod. Parisino recte est coniunctum. Vnde recepta videantur, vix dicas, quamquam nonnulla in libris alterius et tertii generis redeunt. Ceterum tria glossaria pariter vestigia haud pauca exhibent, quae modo ad Pseudapuleium modo ad Dioscuridem ducant. Sed talia herbarum glossaria cum sine dubio plura circumferrentur ex diversis eiusdem materiae recensitionibus ducta, anceps est de fonte iudicium. Subicere liceat aliquot exempla, ut 548, 44: *poletria capillo Venere*; 548, 36: *octonis celaedonia maior*; 545, 76: *eraclia sisimbria*; 545, 40: *erigonon senitione*. Apertiora quaedam vestigia eaque diversa inter se cetera exemplaria ostendunt, quae absunt a codice Senensi, ut haec p. 581, 16: *centauria .i. petronia . marion ulbosis . limites . amceracli . tirinias . apogerissa . pori-*

dis.enarcus . antiamas . fel terris. XII nomina unum sunt (cf. *centauria* in Thes. gloss. em.); et haec p. 633: *nomine erbe botracion, omeus choras, Tusci corofis, Siculi selinon agrion, Romani aperisu, Galli erba scelerat, Itali .i. aperisu; nomine herba aristolocio, ali .i. mele carpum, Itali .i. terre malum, Daci .i. absencium ret sticum, Punici genciana, alii das damum, Romani genciana, Italii comicialem; nomine herbe dra . c . tea, ameus as lepadias, Italii dracontea, alii auricula asinina; nomine erbe satirion, Romani priapiscus, Siculi orchis, alii testiculus leporinus. Talia integra ex Pseudapuleio fluxisse certum est. Vt igitur comprehendam quid de his glossariis sentiam: fundamentum commune fuerunt hermeneumata herbarum, qualia tunc plura circumferebantur, quibus aut eadem subfuisse videtur materia aut similis eius quae apud Pseudapuleium et Dioscuridem exstat; adiecit auctor hermeneumatum Senensium haud pauca ex aliis glossariis, quorum certe aliqua pars redit in glossariis alterius et tertiae familiae; reliqua exemplaria ex Pseudapuleio quaedam addiderunt; pauca aliunde videntur esse sumpta.*

Primum glossarium codicis Vaticani 1260 hanc habet inscriptionem: *dedecem speciebus medicamentorum, haec sunt de animalibus terrenis et marinis, herbis vel seminibus, lignis vel lapidibus, floribus vel lacrimis, sucibus atque metallis*; quae inscriptio quamquam ad id quod glossario inest aliquo saltem modo accommodari potest, tamen medicamenta herbarum, ut apud Dioscuridem quoque, longe superant. Herbarum autem certe maiorem partem ex Pseudapuleio fluxisse dudum perspexi; cf. quae praef. p. XXXII et praef. vol. VI p. VII adnotavi; item in ipso Thesauro gl. em. multas glossas cum Pseudapuleio contuli. Quam arte hae glossae cum Pseudapuleio cohaereant, ex hoc exemplo disces. *Herba dracontea* in codice Vratislaviensi ita incipit: *herba dracontea, omoeos asclepias, alii dicunt pitonion, alii anthomannis, alii panchromaton, alii afrissa, alii therion, alii cronicae, alii augyon, alii lycion, alii lycorcon, alii lycopsolon, alii dorcadion, prophetae ezecontas, Ostanes tyfonos, Zoroastres terifonon, Aegyptii eminion, Romani colubrinam, Itali draconteam, alii oricla asinina, Libii adrizafot, Daci adila. Quae nomina hoc ordine insunt primo glossario* (p. 550, 57—62): *asclepias dragontea, antomalis dragontea, afrissa dragontea, aucgion dragontea, adrizafot dragontea, adilla .i. dragontea* (omnia igitur quae ab *a* incipiunt ordine quo apud Pseudapuleium exstant posita sunt); item in aliis litteris, ut p. 557, 61—63: *cronice .i. dracontea, colubrina .i. dracontea, corcodrillion dracontea* (exstat apud Ackermannum); p. 560, 2: *dorchadion dragontea*; p. 561, 63: *ezecontas dragontea; eminion dragantea*; p. 567, 45: *licorcon .i. dragontea, licopsolon .i. dracontea*; p. 568, 12: *licorcorcon .i. dragontea*; p. 570, 48: *oricula asinina .i. dracontea*; p. 573, 28: *pitonion*

-i. dracontea, pagromaton ho/// dragantea; p. 578, 28: *therion thyonis terifonon unum sunt -i. dragontea*. Quae est p. 578, 72 glossa (*talpiriola -i. dragontea*), aliunde excerpta videtur (scil. ex glossario tertiae familiae: cf. p. 629, 53; 595, 56). Addere liceat exemplum ex L petiitum, ubi sic est in cod. Vratislaviensi: *herba eliotropium a Grecis dicitur elioron, alii dialiton, alii scorpion, alii heraclea, alii croros crons, prophetae ematites, Galli uras corpiu, Pythagoras nisene, Aegyptii vertamnum, Itali mulcetram*. Quae sic exhibet glossarium p. 554, 41: *bertamnum -i. eliotropium*; cf. p. 562, 27 *eliotropium -i. bertaminum*; p. 557, 34: *cronosconis -i. eliotropium*; p. 560, 33: *dialiton -i. eliotropium*; p. 561, 45: *elioron -i. eliotropium*; *ematites eliotropium*; p. 566, 5: *iscorpion -i. eliotropium*; p. 568, 67: *mulcetra eliotropia*; p. 576, 51: *scorpion -i. eliotropium*. Accedunt in glossario: p. 577, 34: *sicorium eliotropia*; p. 557, 47: *corium -i. eliotropium*, fortasse ex alio fonte. Caput XXXV tale est in codice Vratislaviensi: *herba centaurie maior, alii dicunt maronion, alii pletronia, Punici abussussi, alii limnitis, prophetae emeracleu, alii cironias, alii apogirissa, alii polydis, alii emercos, Aegyptii antimas, Itali fel terrae*. Quae sic exhibet glossarium: p. 550, 24: *avossucus -i. centaurea maior, apogirisa centaurea maior, antismas centaurea maior*; p. 558, 30: *cironia centauria maior* (= p. 558, 27: *ciron -i. centauria maior*); p. 561, 38: *ematracleum -i. centauria maior*; p. 568, 6: *limnesto -i. centauria maior*; p. 573, 40: *polidis -i. centauria maior*. Sequitur apud Pseudapuleium herba haec c. XXXVI: *herba centaurie minor, omoeos celleborites, prophetae ema heracleus, Aegyptii amarat, Daci stirsozila, Itali febrifugia, alii fel terrae [polidus] emaepycus, Aegyptii antiunas, Romani fel terrae*. Sic autem in glossario p. 550, 27: *amara centaurea minor, antiunas centaurea minor*; p. 551, 52: *alicoronium centauria minor*; p. 560, 61: *eleboritis centauria minor*; p. 561, 39: *emeracilius, idē emepicus -i. centauria minor unum est*; p. 566, 3: *istiricotila centauria minor*. Haec quin ex Pseudapuleio repetenda sint, nemo dubitabit. Sed est etiam tertia series notabilis, in qua *centauria* est nulla ceteroquin distinctione facta, ut in his: p. 573, 39: *petronia centaurea*; p. 567, 33: *limnutis -i. centauria*; p. 570, 25: *narcana -i. centaurea*; p. 567, 71: *labadeon centauria*; p. 569, 49: *moromon -i. centaurea*; p. 555, 31: *centauria fel terrae*: quae ex parte certe redeunt in magna illa glossa p. 581, 16 e Pseudapuleio ducta, quam supra (p. 54) commemoravimus. His denique accedit p. 567, 71: *labadeon -i. centauria*, quam ex Dioscuride explicabis (*λιβάδιον*). Vnde apparet non ex eodem fonte omnia profluxisse, sed minimum ex duobus fontibus. Quae ex eis quae dixi eluceant qui reputabit, facile dimidiam partem glossarum et ad fontem et ad genuinam formam revocare poterit: pleraque quae dicenda sunt iam in Thesaurο gloss. emend. indicavimus. Nunc ad alteram glossarum dimidiam

pervenio: quam sumptam esse ex glossario aliquo, quale continet codex Cassinensis, ex hoc ordine concludēs:

- 535, 2 *Aspaltu id est bitumen* = 549, 16;
Andracimen idest bududomen
Agaru idest afrunuel = 549, 17;
Apoquimatos et elequimatos id est resina navis
Atanta idest flos flores
Acacia idest sucus velque
Andracimen idest portulaci
Asrocorde idest bulbicum = 549, 19;
Antereos idest flores de albucio = 549, 20;
Aneton idest aneto = 549, 21;
Agantelos idest sparagos = 549, 22;
Agaza idest agaras
Arsenico idest auripimento = 549, 23;
Atacana idest latassaris = 549, 24;
Ameos idest semen nucle = 549, 25;
Artemisia idest zimber = 549, 26;
Asfodilo idest albucio = 549, 27

Tales ordines in omnibus litteris exstant, sed modo minus modo magis turbati et cum ceteris mixti sunt. Vltima series haec est:

- 542, 26 *Radicula lanaria idest tritio idest citicia* = 574, 64;
Roda idest rosa = 574, 65;
Riza idest radix = 574, 66;
Radiolum idest felcina = 574, 67;
Radagne idest biblace = 574, 68;
Ramnus idest spina alba = 574, 69.

Quae in fine desunt (pars litterae R, dein litterae S—Z), ex codice Vaticano suppleri aliqua ex parte facile poterunt.

Ceterum etiam codex Parisinus 11219 multa cum primo glossario Vaticano, item cum altero communia habet, id quod iam praef. p XXXII adnotavi; una serie liceat demonstrare, qualis sit rei ratio;

- Dorcadis id est capriolus* = 582, 5
Dicamen id est laregatus sive benedicta vel pituina = 582, 1
Dictamnus id est leporis auricula vel drochadion sive didemus = 582, 2
Durianus id est uva canina vel strugnus = 582, 7
Drimsagia id est agra cefaria = 582, 9
Drius id est rovor arbor = 582, 6
Dafnus id est laurus arbor
Dauco cretico id est semen de pastenacas vel dauci semen = 582, 10
Dragontea id est asclepias sive cronice tagantis vel proserpinale sive dorchadion = 582, 12
Dictamnus id est pusillio sive pullicaris vel labrum Veneris
Damnis id est laurus = 559, 33
Dapus cocta id est lauri bacas vel daffinidon = 559, 36
Damasonium id est cito coctu = 559, 38
Dcagridium id est squamonia = 559, 44

- Dicamen id est resina* = 559, 46
Dentrolibanus id est ros marinus = 559, 48
Decacopegias id est stercus caprunus = 559, 49
Diacoziam id est lactis qui ex lapidibus fluminalibus cocuntur = 559, 50
Diodila id est millefolium = 559, 54
Dardana id est personatia = 559, 58
Diadema id est malva = 559, 59
Dapniadis id est drinos sive victuriola = 559, 61
Denteron id est olizatru = 559, 56
Davaria id est lactarida = 559, 69
Disofi id est quinquefolia = 559, 70
Dardan id est gentiana = 560, 3
Dardanos id est aristolocia rotunda = 560, 4
Discolofan id est camimela = 560, 7
Dapnites id est laurum terranium = 560, 13
Dagrion id est lacrima = 560, 16
Dorchadion id est capriolina carne = 560, 24
Dendron id est titimalli = 560, 27
Dodila id est camefiteos = 560, 30
Damascineos id est brittanica = 560, 31
Dendro limolu id est eviscus = 560, 32
Dialiton id est eliotropium = 560, 33
Diaxilon id est aspalatu = 560, 34
Dragagantia id est nervia = 560, 38
Diafanus id est speclaris = 560, 41

Prior igitur pars quamquam non ex ipso Vaticano fluxit, aperte tamen nescio quo modo cum eo cohaeret, nisi quod glossae contaminatione dilatae sunt; altera pars ex codicis Vaticani glossario primo excerpta est.

Tertium Vaticani codicis glossarium (p. 586—596) — idem glossarium continet cod. Vatic. 4417 nisi quod litterae B et C ex primo glossario petitaе sunt — etiam codex Bernensis exhibet, cuius scripturam p. 607—616 integram expressi. In inscriptione est: *Interpretatio herbarum vel pimentorum*. Qui composuit glossas, ita auxit, ut lemmatis et interpretamentis saepius mutatis novas glossas procuderet, velut 586, 9: *aristolozia rotunda .i. ciclaminus* = 588, 7 *ciclaminus aristolozia rotunda*; 587, 43: *bulbus narcissus agrestis* = 593, 11 *narcissus bulbus agrestis*(!); 592, 71: *marcosider .i. ulbarus* = 596, 32 *ulbaro marcosider*; 593, 41: *oticias sellia* = 595, 31 *sellia erba ortigia*, alia id genus. Notabiles sunt aliquot glossae interpretamentis germanicis insignes, ut 587, 35: *augor .i. hranca*; cf. 596, 29: *vitis alba .i. hranca*; 596, 34: *virgulta .i. uualda* (cf. etiam 582, 60); adde *rubiarois uuarancia* 594, 43 (de qua cf. Kluge 'Zeitschr. f. d. W.' XIV p. 160): ex quibus, quamquam etiam in aliis eiusdem libri Vaticani glossariis exstant, colligas in Germania esse glossarium ortum. Omnino non paucas glossas pecu-

liares habet; aliae consonant aut cum duabus ceteris classibus aut cum altera utra ex his. Cum Pseudapuleio paucissimae conspirant: quas noli credere ex illo sumptas esse; neque enim fieri potest, ut in re simili nomina diversa sint omnia. De singulis nunc disputare nolo; satis habeo ad ea relegasse, quae in Thesauro glossarum em. composita sunt.

Haec habeo quae de glossis medicobotanicis vetustioribus disputem. Quomodo cum his recentiorum glossariorum specimina cohaereant, velut glossae Alphita, Sinonoma Bartholomei, corpora Simonis Ianuensis et Matthaei Silvatici, infra quaeretur (cap. XVII).

CAPVT VI. DE PLACIDO GRAMMATICO

§ 19. Ab his hermeneumatis quae proprie dicuntur ad glossaria ut redeamus — quamvis etiam hermeneumata ad ordinem elementorum digesta glossariorum nomine a veteribus comprehensa esse constat — nescio quam glossarum *συναγωγήν* maiore iure primo in loco ponam quam quae Placidi grammatici nomine circumfertur: sic enim commode in viam quam p. 12 deseruimus reversi vetustiorum glossographorum latinorum vestigia tandem aliquando recuperabimus. Placidus quis et quo tempore fuerit non traditur. *INCIPIVNT GLOSSAE PLACIDI GRAMMATICI* inscribitur in libris Romanis; ‘*de Placidi glossis*’ vel notulae similia significantes in libro glossarum singulis Placidi glossis sunt praemissae. Nec in subscriptione quicquam inveni quod huc pertinere posset. Solus liber Corsianus et inscriptionem habet hanc: *Incipiunt Glossae LVCTATII PLACIDI GRAMMATICI IN PLAVTI COMEDIAS*, et hanc subscriptionem: *FINIVNT GLOSSAE LVCTATII PLACIDI GRAMMATICI*: cui libro quod accedit apographon codicis Hamburgensis, i. e. cod. Londinensis Egerton 270 (anni 1826: ‘*Luctatii Placidi grammatici glossae hucusque nondum typis editae*’), propterea nullam vim habet, quia in Hamburgensi ipso tale nihil exstat. Vnde librarius doctrinam suam hauserit, facile divinabis: scilicet ex illa glossarum ‘affatim’ in apographo Havniensi Lindenbrugii adnotatione (cf. *Sitzungsberichte der K. Sächs. Ges. d. W.* 1888 p. 229): ‘*sub Placidi nomine hae glossae a doctis laudantur et fortassis an sunt Placidi interpretis Thebaidis et Achil- leidis Papinii Surculi Statii.*’ Nec dubito quin etiam Corsiani libri inscriptio simili ‘doctrinae’ debeat; additamentum enim illud ‘in Plauti comedias’ fidem non augere infra videbimus. Certe non est cur Luctatium appellemus grammaticum, ut qui cum interprete Statii qui ‘Lactantius’ audit nihil commune videatur habere. De tempore glossographi nihil affirmari potest nisi quod in mira anthologiae Salmasianae prae-

fatione (cf. vol. V praef. p. 3 cum additamentis Riesii Anthol. I² p. 371) glossae Placideae haud paucae iam usurpatae sunt. Sexto igitur saeculo eum olim de coniectura adscripsi; cf. 'Sitzungsberichte der K. Sächs. Ges. d. W' a. 1896 p. 66 (etiam de praef. Salmasianae anthol.), ubi suspicatus sum ex Africa glossas in Hispaniam delatas esse, qua certe in terra anonymus qui librum glossarum composuit et Isidorus Hispalensis (cf. Deuerlingii praef. p. XIX et Wessnerum 'Isidor und Sueton' Hermae tom. 52 p. 263) his copiis usi sunt. Ex Hispania etiam codex Parisinus nov. acquis. 1298 saec. XI provenit, de quo cf. V praef. p. XI sq. Quamquam confidentius neque de Placidi patria neque de tempore dici potest. Testimoniis addenda sunt, quae apud Remigium Autissiodorensem et Hincmarum Remensem inveniri Manitius 'Gesch. der lat. Litt. des Mittelalters' p. 509 et 350 docte monuit.

De Placidi codicibus Guilelmus Meyer, Gustavus Loewe, Gottholdus Gundermann, ipse olim satis desudavimus: quae ex his studiis de artis criticae fundamentis dicenda esse visa sint, praefationis p. III—XX breviter, sed cum cura comprehendi: quibus neque alii quod adderent habuerunt neque mihi ipsi nunc quae suppleam praesto sunt. Ex eis quae dixi apparet non semper certum esse haec vel illa glossa utrum Placido adscribenda sit necne: qua de quaestione post me sano iudicio usus paucis tractavit Paulus Karl (de Placidi glossis, Comm. phil. Ien. VII 2) p. 84 sqq., ut non lubeat ad eandem nunc rem relabi. Materiem glossarum non omnem esse eiusdem generis post Loewium Gloss. Nom. p. 86 idem Karl p. 89 sqq. sobrie et egregio successu exposuit ordinibus quibusdam discretis glossarum ab reliquis admodum diversarum. Tales ordines in libris Romanis, quos solos hac in re duces sequi possumus, hi sunt: p. 6, 4 (*Allaterati palmulis*)—p. 8, 2 (*Amussis*); p. 8, 5 (*Boni aequique*)—p. 8, 24 (*Boni consultum*); p. 13, 22 (*Cirea stercus*)—p. 16, 6 (*Cabonum*); p. 16, 8 (*Damium*)—p. 16, 43 (*Disputidum*); p. 21, 2 (*Exerimus*)—p. 21, 32 (*Exhauterantibus*); p. 21, 34 (*Futor*)—p. 23, 4 (*Flatare*); p. 24, 14 (*Genuinorum*)—p. 24, 28 (*Glomerum*); p. 25, 12 (*Hilum*)—p. 25, 30 (*Hirudo*); p. 28, 21 (*Ingruit*)—p. 29, 29 (*Impotens*); p. 29, 31 (*Kalende*)—p. 29, 33 (*Kalumnia*); p. 29, 35 (*Ludicrum*)—p. 30, 11 (*Luncuns*); p. 33, 4 (*Manticulatio*)—p. 33, 30 (*Manducum*); p. 33, 32 (*Nautea*)—p. 34, 7 (*Nullationem*); p. 36, 17 (*Obstipeculus*)—p. 37, 7 (*Offucas*); p. 37, 9 (*Pedor*)—p. 37, 31 (*Pedo*). In extremis litteris similes ordines nunc quidem desunt. Hos autem ordines ex certis indiciis distinximus, scilicet hisce: 1) glossae quas modo secrevi in univ-ersum brevitae quadam excellunt prae ceteris multo amplioribus; 2) lemmata saepe simplicissima sunt et eas formas exhibent, quas ha-

buerunt eis locis unde fluxerunt; his accommodantur interpretamenta: contra in amplioribus lemma et interpretamentum plerumque per *est*, *id est*, *significat*, *dicitur* iunguntur; 3) non paucae ex glossis brevioribus aperte ad priscam latinum spectant et cum Festo similitudine quadam continentur. — Quae ordinum et glossarum differentia his exemplis illustretur (p. 13, 24): *Caculae lixae aut servi militum*; *Consonant vocem dimissam sentiunt*; *Capedulum vestimentum capitis*; *Creperae res incertae dubiaeque, unde et crepusculum*; *Connum proximum*; *Coniecere coescere (= coercere)*; *Casinar senex e. q. s. et ex amplioribus quae praecedunt*: *Congesta dicuntur quae ex multis in unum congeruntur, ut fata, vestes et frumenta aut paleae in struem congestae*; *Commenta plura significat*; *dicimus enim comminisci crimen confingere*; *dicimus et commenta interpretationes commentariorum ut commenta iuris, commenta Virgilii*; *Coerciti vindicati, id est in quibus crimen punitur. coercere enim vindicare. item cohercere dicimus circumvenire, ut civitatem fossa vel campum fluvius (= fluviis)*; *Considerare est in uno loco sedere*; *Cultus est animi ac loci*; *Consulto a consulendo et tractando dictum est, quod sic fit ut consulat et nocere non possit*. Quae sit inter ampliores et breviores discrepantia, recte Karl etiam glossis parallelis docuit quae in utrisque ordinibus ad similem rem spectant; velut hae sunt: 1) p. 9, 1: *Boa animal est quod valde persequitur boves, unde et nomen habet boa* = p. 8, 9: *Boba vehemens rubor, interdum genus serpentis*; 2) p. 20, 2: *Exanclare exhaustire ex Graeco veniens, quod quidem verbum Plautus saecularis poeta comicus posuit in Stico: neste (= ne iste) edepol vini pauculo (= poculo) pauxilolo exanclavi saepe* = p. 21, 5: *Exanclare exanimare vel exinanire* et p. 21, 29: *exanclata exhausta et quasi exangulata, id est per angulos quoque exquisita*; 3) p. 4, 13: *Adorea panis de adore, id est laus in bellica* = p. 6, 9: *Adoria gloria vel bona fama*; 4) p. 4, 4: *Autumant: asserunt confirmant vel adseverant* = p. 6, 27: *Autumant dicunt loquuntur*; 5) p. 13, 10: *Caespites frutices et scribimus diptongum* = p. 14, 36: *Caespitibus glebis terrae cum suo gramine; interdum alio loco ramis significat*; 6) p. 34, 14: *Conticinium dicimus quando omnes silent; conticescere enim silere est* = p. 15, 24: *Conticinio tempore noctis post galli cantum, quod cecinit et conticuit*; 7) p. 27, 16: *Ingluvies gula vel voracitas* = p. 29, 4: *Ingluviem Cornutus ventrem, Plinius edacitatem*; 8) p. 57, 18: *Confieri pro fieri adiecta praepositione. hoc Vergilius. Terentius vero: hoc confit quod volo et spero confero (= confore) pro fero (= fore)* = p. 15, 38: *Confiet parabitur conficietur*. Eiusdem si prosapiae ordines essent utrique, mira certe haec discrepantia videretur. In extremis litteris quod tales ordines omnino desunt, id per se facile ita interpretari possis, ut illos postea abiectos esse dicas. Certe in nostrorum librorum archetypo numquam exstiterunt, cum nec codex Pa-

risinus nec liber glossarum talium glossarum exempla suppeditent. Qui Anthologiae Salmasianae praefationem scripsit, in quam ex Placidi glossis multae transierunt, eum etiam in extremis litteris breviores glossas videri legisse infra docebimus. Age vero nunc ipsas glossas accuratius perlustremus; initium autem a brevioribus faciemus.

Conspicua est etiam in his partibus quaedam glossarum duplicitas, ut p. 6, 20: *Abludam paleam* et p. 6, 30: *Apluda furfuribus alii pannique*; p. 6, 11: *Angrae intervalla arborum* et p. 7, 3: *Ancras convalles aut arborum intervalla*; p. 6, 5: *Actutum statim, continuo* et p. 6, 35: *Actutum brevi, festinanter, prope(re)*; p. 6, 7: *Ad incitam ad extremam fortunam* et p. 7, 12: *Ad incitas ad summam rerum perturbationem desperationemque*; p. 8, 12: *Baxae calcei mulieris alti* et p. 8, 16: *Baxeas calciamenta*; p. 8, 8: *Bubinare sanguine inquinare (inquinari codd. em. Deuerling)*; *bubinarium autem est sanguis qui mulieribus menstruis venit* et p. 8, 18: *Bubino (= Bubinario?) menstruo, id est fluore[m] sanguinis* (ubi inquino olim supplevi); p. 13, 30: *Casnar senex* et p. 15, 34: *Casnari seni Oscorum lingua*; p. 16, 38: *Damium Bonae deae sacrum* et p. 16, 8: *Damium sacrificium quod in operto fit, quod Bonae deae mulieres faciunt*; p. 21, 5: *Exanclare exanimare vel exinanire* et p. 21, 29: *Exanclata exhausta et quasi exangulata, id est per angulos quoque exquisita*; p. 21, 7: *Effafilatus exerto humero, id est extra filum manum [id est extra] proferens* et p. 21, 21: *Exfabillavero exeruero*. In eis glossis quas ultimas attuli certum est etiam lemmata ad diversos locos pertinere; idem dicendum de lemmatis *ad incitam* et *ad incitas*; lemmata quae sunt *Apluda*, *Angrae*, *Baxae*, *Bubinare*, *Casnar*, *Damium*, *Exanclare* ad doctum glossographum pertinere saltem possunt, qui nominativos et infinitivos posuit, ipsis testimoniis fortasse submissis. Vnde conicias ad duos minimum fontes revocandos esse hos ordines; alteram partem ex glossematum scriptore nescio quo fluxisse, quales § 2 tractavimus, ex docti glossographi thesauris alteram; neque fieri non potest ut in utriusque generis glossis eidem loci scriptorum pro fundamento sint. Sed cave temptes singulas glossas reliquas huic vel illi generi adscribere; nam ne in eis quidem quae duplices sunt res certa est, nedum in eis, ubi parallelae glossae non succurrunt. Sed esse etiam alias quasdam glossas notabiles in his ordinibus rectissime Karl p. 95 monuit, nempe velut hasce in una littera C: 1) p. 14, 36: *caespitibus glebis terrae cum suo gramine; interdum alio loco ramis significat*; 2) p. 14, 37: *colurnis ex cornu factis. nam et colurni qui ex corulo fiunt*; 3) p. 14, 18: *caudeam iunceam, quod iunceae cauda emergat. dicitur et scirpum et tibi tibi*; 4) p. 14, 31: *confoeditos foedere copulatos, quoniam † enumerare coniuges non erat usitatum*; 5) p. 15, 10: *conspicillo ita ut conspici possint, quod aiunt*

longis lineis. Quae glossae cum omnes ad certos scriptorum vel poetarum locos spectent, obscuri aliquid habent, quod removeatur, si in margine ipsius scriptoris haec posita fuisse sumas, h. e. in commentario margini addito. Quod ita fuisse si probabiliter statuit Karl, tertium fontem deteximus, ex quo etiam alia deprompta esse possunt. Velut in littera N p. 34, 5: *neniam finem; alias carmen mortuorum* (cf. Truc. 213); in littera H p. 25, 28: *herbam dedit; mos enim contendentibus erat vulsam herbam* <si> *qui vinceretur porrigendi, ut nunc dicitur*; in littera G p. 24, 18: *galliciola cortice nucis iuglandis viridis, per quem corpus humanum intellegi vult*, scil. Lucilius? (cf. 1184 ed. Marx). Sed iterum moneo ne temptemus reliquas quoque glossas huic vel illi generi adscribere: nam ariolandi periculum in his quam maximum esse censeo. Satis habeamus id unum monuisse: 1) glossas in his ordinibus exstare simplices, quales anonymos illos grammaticos vetustissimos congessisse diximus; 2) nonnullas glossas ad doctos videri pertinere glossographos, quales etiam Servius exscripsit; 3) inesse quaedam vestigia locorum ex commentariis margini adscriptis petitorum.

Ne ampliores quidem ordines, ad quos nunc accedo, ex uno et eodem fonte ductos esse merito monet Karl p. 99 sqq., ad quod demonstrandum eisdem quibus antea utitur argumentis, scilicet glossis quae simili quidem lemmate notabiles sunt, sed discrepantibus interpretamentis, velut p. 3, 6: *altrinsecus non ex alto, sed ex altera parte* et p. 5, 26: *altrinsecus hinc et inde vel desuper, sicut extrinsecus dicimus ab eo quod est exterius et intrinsecus ab eo quod intus est*; adde p. 3, 2: *abuti et bene uti est et male uti* et p. 5, 34: *abuti duas res significat, modo contemnere et non uti, modo valde et satis aliqua re uti*. Accedit quod etiam re differunt glossae; duo enim genera saepius licet discernere: adnotationes et ad artem grammaticam et ad interpretandos auctorum locos pertinentes. De illis Loewe GL. N. p. 87 egit; cf. p. 9, 15—11, 8 in littera C, quibus tres tantum alieni generis interpositi sunt; p. 17, 1—17, 8 in littera D; p. 18, 11—18, 20 in littera E; p. 23, 5—23, 11 in F; p. 37, 32—37, 42 in P, ut minores ordines et glossas singulares omittam. Alterius generis exempla aliquot tractavit Karl p. 100 sq., velut haec p. 19, 18: *eo ingenio [ea natura] omnia generans: ingenium pro natura posuit*; p. 23, 21—22: *fastidiosum renidens: vel pro adnuens et consentiens vel deridens. renidens enim plerumque vultus dicitur laetitia vel risu perfusus, fastidiosum vero pro fastidiose dixit, nomen pro adverbio, ut est 'torvumque repente clamat'*; p. 28, 5: *immensorum thesaurorum: ratio quidem facit, sed propter euphoniā immensum dixit*; p. 39, 22: *regulas proponentes ac magiae retes: hic regulas doctrinas vel disciplinas*

magorum ostendi vult; p. 84, 2: *mentis: genetivum casum pro nominativo posuit: debuit enim dicere mens*; p. 94, 6: *praecessit hiems: in temporibus melius dixit praecessit, quia aliud sequitur vel quod illud ipsum [ideo] rediturum est. nam quod praeteriit, redire non potest*; p. 96, 18: *regionem intra degit: poetico more fecit. nam si volumus rectius loqui, in regione degit aut intra regionem dicimus. et postposuit praepositionem et perdidit vi[a]m suam, ut in arte legimus*. Hae et similes glossae quin ex commentario vel ex commentariis provenierint, vix quisquam dubitabit; qui collegit saepius parum diligenter versatum esse aptis exemplis Karl p. 102 exposuit. Idem merito addit nonnullas glossas ad neutrum genus spectare, ut glossas quibus de mensium nominibus, de noctis partibus, de senatu, de scena aliisque rebus agitur: qualia nemo ex illis fontibus principalibus derivabit.

§ 20. Quicumque Placidi glossis sive emendandis sive explicandis operam dederunt, multas cum Verrii Flacci copiis certo vinculo contineri eos nullo modo fugere potuit. Quam necessitudinem diverso modo explicandam esse censuerunt docti. Nam cum Odofredus Mueller in Festi editione magnam partem glossarum Placidearum ex Festo derivatam esse dixisset, Fridericus Ritschellus Op. III p. 55sq. id recte se habere negavit, quem secuti cum Deuerling (praef. p. XV) tum Loewe (Gl. N. 94sq.) necessitudinem ex eorundem apud Verrium et Placidum fontium usu repetendam esse pronuntiaverunt. Quos contra Nettleship (Lectures and Essays pag. 247) sibi persuadere non potuit grammaticum quinti saeculi, quippe qui vetusti sermonis satis imperitus fuerit, eosdem ac Verrium auctores adiisse; probabilius esse censet ex glossariis pendere illum, in glossaria autem per rivos nescio quos multa ex Verrio Flacco translata esse. Quam sententiarum diversitatem Karl p. 104sq. ita mihi sustulisse videtur, ut non habeam quod opponam. Statuamus enim Placidum sua ex Verrio petiisse et adiciamus talium glossarum, simul autem locorum unde fluxisse putantur indicem solam A litteram respicientes:

Plac.		Fest. Pauli	Plac.		Fest. Pauli
<i>Adoria</i>	=	3, 12 <i>Adoriam</i>	<i>Annictare</i>	=	29, 2 <i>Adnictat</i>
<i>Armillum</i>	=	2, 5 <i>Armillum</i>	<i>Anate</i>	=	29, 9 <i>Anatem</i>
<i>Antigerio</i>	=	8, 5 <i>Antigerio</i>	<i>Artitus</i>	=	20, 14 <i>Artitus</i>
<i>Apluda</i>	=	10, 14 <i>Apluda</i>	<i>Apua</i>	=	22, 18 <i>Apua</i>
<i>Antiis</i>	=	17, 5 <i>Antiae</i>	<i>Aeruscans</i>	=	24, 7 <i>Aeruscare</i>
<i>Actum</i>	=	17, 13 <i>Actus</i>	<i>Adorans</i>	=	19, 5 <i>Adorare</i>
<i>Aginam</i>	=	10, 3 <i>Agina</i>	<i>Ausculatus</i>	=	28, 9 <i>Ausculari</i>
<i>Ancras</i>	=	11, 13 <i>Antras</i>	<i>Ambacti</i>	=	4, 13 <i>Ambactus</i>
<i>Aginatorem</i>	=	10, 3 <i>Agina</i>	<i>Altriplicem</i>	=	7, 14 <i>Alterplicem</i>
<i>Ambulacris</i>	=	21, 8 <i>Ambulacra</i>	<i>Ambromem</i>	=	17, 2 <i>Ambrones</i>
<i>Arse verse</i>	=	18, 15 <i>Arse verse</i>	<i>Amussis</i>	=	6, 9 <i>Amussim</i>

Ceterarum glossarum cum prorsus eadem sit ratio in reliquis litteris, aegre diceretur cur, si excerptae essent glossae Placideae ex Festinis vel Verrianis, nulla neque veteris ordinis vestigia neque alia ulla dispositionis mutatae causa appareret. Sed accedunt argumenta graviora, velut ex diversa Placidi et Festi lemmatum forma repetita, ut iam Loewe monuit. Apud Verrium-Festum enim lemmata rarius genuinam quae est scriptorum ipsorum formam exhibent, sed a grammatico mutatam ita, ut nomina nominativos ostendant vel ex Verrii oratione pendeant, pro verborum formis in scriptorum locis exstantibus saepius infinitivi exstent: quod noli ad Paulum vel Festum revocare, cum longe plurimis locis ad ipsum Verrium pertinere videatur. Velut cum paene certum sit Fest. p. 162, 12 tale quid olim exstitisse: *Nefrendes dictos asserit Q. Mucius Scaevola arietes, quod dentibus frendere non possint. Ateius Capito infantes esse nondum frendentes, id est frangentes. Livius . . . : quem ego non frendem alicui lacteam immulgens opem e. q. s., ex his vix potuit sua haurire Placidus p. 33, 39: Nefrendem, infantem, nondum dentatum, qui frendere cibum non queat, id est frangere. Item Fest. p. 161, 13 velut haec olim habuit: Naenia est carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam, quod vocabulum Afranius in Materteris posuit Sunt qui eo verbo finem significari crediderunt, ut ait Plautus in Pseudolo: ubi ego circumvortor cado: id fuit naenia ludo. Idem: huic homini amanti mea era apud nos naeniam dixit domi . . . 'naeniam maesto e. q. s.; contra haec Placidus p. 34, 5: Neniam finem; alias carmen mortuorum (cf. p. 86). Fest. Pauli p. 19, 5: Adorare apud antiquos significabat agere e. q. s.; Plac. p. 7, 36: Adorans alloquens. Fest. Pauli p. 91, 1: Fratrare puerorum mammae dicuntur cum primum tumescunt; Plac. p. 22, 28: Fratrarent, turguerent, pubescerent. Fest. Pauli p. 89, 3: Futare arguere est, unde et confutare. Sed Cato hoc pro saepius fuisse posuit. Plac. p. 22, 30: Futavere fuere et p. 22, 14: Futavit fuit. Fest. p. 109, 3: Implorare inclamare, ad auxilium invocare; Plac. p. 29, 12: Imploratis invocatis. Fest. Pauli p. 21, 8: Ambulacra ambulationes; Plac. p. 7, 11: Ambulacris locis quibus ambulatur ex commodo. Fest. Pauli p. 29, 9: Anatem dicebant morbum anuum, id est vetularum, sicut senium morbum senum; Plac. p. 7, 22: Anate, sollicitudine, cura. Fest. Pauli p. 39, 3: Cocula vasa aenea coctionibus apta. Alii cocula dicunt ligna minuta quibus facile decoquantur obsonia; Plac. p. 14, 36: Coculis aereis vasis ad coquendum vel assulis aridis. Ex Festo aliquo modo pendet Isid. XX 8, 1: Omnia vasa coquendi causa parata cocula dicuntur. Plautus: Aeneis coculis mihi excocta est omnis misericordia. Fest. Pauli p. 88, 15: Fartores nomenclatores, qui clam velut infercirent nomina saluatorum in aurem candidati; Plac. p. 23, 2: Fartori nomenclatori. Fest. Pauli p. 90, 10: Fratilli villi sordidi*

in *tapetis*; Plac. p. 22, 23: *Fratellis sordium glomusculis*. Fest. Pauli p. 94, 14: *Genuini dentes, quod a genis dependent*; Plac. p. 24, 14: *Genuinorum dentium prope ultimorum*. Fest. Pauli p. 101, 17: *Habitudo habitus corporum*; Plac. p. 25, 14: *Habitudine habitu*. Ex tanta lemmatum discrepantia, quae minuitur, si Paulum nonnulla mutavisse statuimus, sed non removetur, rectissime me quidem iudice Loewius conclusit Placidum non a Festo pendere aut a Verrio, sed utrumque ab eodem fonte. 'Neque eum vere iudicare puto, si quis dicat Placidum vel eius glossarum auctores lemmata ex exemplis a Festo positae petivisse. Quae excerpenti ratio omnino non probabilis est, cum quo consilio excerptor usus sit non intellegatur. Immo Placidi cum totarum glossarum, tum lemmatum forma alios fontes ac Festi aut ipsius Verrii librum indicat.' Contrarium in nonnullis glossis factum esse supra suspicati sumus; quod non mirum est, cum ex grammaticorum ratione sit, in talibus aut nominativum ponere aut verborum primam singularis praesentis temporis personam aut infinitivum praesentis. In his nemo certe haerebit. — Huic argumento Loewii addit Karl p. 108 levius, sed tamen haudquaquam inutile hoc, quod Placidi et Festi interpretamenta aut omnino aut saltem aliquo modo inter se differunt. Quamquam non deesse glossas concedit, quas per se spectatas non improbabile sit ad Festum esse revocandas: post ea tamen quae eruimus admodum improbabile est his propriam eamque a ceteris diversam condicionem posse concedi. Quae cum ita sint, ordines brevium glossarum — de his autem et de his quidem solis valent, quae adhuc de ratione Placidi et Festi disputavimus — ex Festo fluxisse negabimus, licet minus aut magis similitudine quadam excellent.

Sed ut afferamus quae de singulis glossis dicenda sint, haec moneo: 1) non fluxerunt ex Festo, sed ex commentariis glossae *caudeam, caespitibus, colurnis, cluram, galliciola, herbam dedit, neniam*; 2) ex Festo non fluxerunt, quorum interpretamenta ab aliis grammaticis propius absunt quam a Festo, ut *cilones* (cf. GR. L. I 102, 1); *gerras* (cf. Non. 118, 22); *gramis* (Non. 119, 14); *porcam* (Varro de r. r. I 29, 3); *amussis* (Non. 9, 3); *infrequens* (Gell. XVI 4, 5); 3) ex Festo non fluxerunt glossae quarum interpretamenta a Festinis plane diversa sunt, ut *ciccum, acerata offula, apluda, aginam, assiduos, adorans, boba, cohun, eritudo, nautea, noegeum, favisae, ferentarii*; idem de glossis valet quorum veriloquia discrepant, ut *antiis, inciente, mulleos, exanclata, latro*; idem de glossis, quibus eadem vox inusitata pluribus interpretamentis explicatur sed diversis apud Paulum et Placidum, ut *antigerio, ad exodium, annictare, arcent, demum, exanclare, fratrarent, gorgo, gerro, investem, in mundo, insequis, numero, obdet*; idem de glossis quarum lem-

mata diversa, ut *capuli*, *extraneam*, *Iugi Iunoni*, *postliminio*, *immoene*, *moenicare*, *dacrumis*; idem de glossis quae ad diversos locos spectant, ut *exdorsuandum*, *ferocientes*, *occedere*, *omentat*, *emussitatos*, *collativus*; idem denique de glossis, in quibus Festus et Placidus alio quodam modo eoque non uno discrepant, ut *ambulacris*, *dissertim*, *dusmum*, *adulterina*, *gutturneo*, *in flustris*, *forago*, *arse verse*, *plotos*, *cassabundum*, *cassabundo*, *bardum*, *anate*, *deperis*, *genuinorum*, *murgiso*, *multifacere*, *cocetum*, *experitus*, *exlaudat*, *moraciis*, *conietor*, *concinatus*, *censio*, *Catiale* *collem*, *doliola*, *iuxta oppidum*, *molocrum*, *pullum*, *ad manticulandum*, *antiquare*, *artitus*, *actum*, *aeruscans*, *ambromem*, *bellicam columnam*, *cossos*, *canterius*, *calpar*, *conlocare*; *clunaculum*, *coculis*, *cicindela*, *carisa*, *curriculo*, *effafilatus*, *genis*, *habitor*, *murrinam*, *manducum*, *nefrendem*, *obstrudulenta*, *offuciarum*, *papillas*, *pedo*. His adiungo talia: *adoria*, *crepero*, *ergo*, *hiras*, *igitur*, *laudare*, *ocreae*, *portum*. Maiore similitudine hae glossae cum Festinis continentur: *cracentes*, *altriplicem*, *flagratores*, *capedulum*, *calbae*, *flaxare*, *massucum*, *armillum*, *apua*, *ausculatus*, *ambacti*, *batos*, *cancros*, *dice*, *enumquam*, *escit*, *facul*, *fratria*, *festram*, *habitudine*, *nasiterna*, *ancras*, *bulga*, *caesariati*, *crumina*, *capronas*, *casnari*, *catillo*, *cassiculo*, *danium*, *eccere*, *flatores*, *fartori*, *imploratis*, *futavit*, *fulsit*, *fratellis*, *bubinare*, *noctipugam*. In omnibus his glossis de communi fonte cogitandum esse iam monui. Haec sufficiant de ratione dixisse, quae inter Festum et Placidum intercedat; cuius interest de singulis quaerere, legat quae Karl exposuit.

Pergo nunc ad ampliores Placidi glossas, quales extremae litterae solas exhibent. In his quoque sunt quae cum Festo comparari possint, sed et multo pauciores nec artiore vinculo conexas. Similitudinem quandam exhibent glossae hae: *acipenser*, *age*, *barrire*, *camuram*, *comptissimus*, *caespites*, *decrepiti*, *exanclare*, *faecessite*, *faenero*, *infit*, *insignit*, *resuliant*, *temetum*; quamquam haec similitudo interdum minor est, interdum talis, vix ut potuerit evitari. In ceteris praevalent quae discrepant, cum modo consilio diverso sint compositae (ut *pueras*, *promulgatum*, *condictum*, *crepido*, *osor*, *pellegeris*, *residuus*), modo ratione prorsus diversa explicantur (ut *hirpices*, *iubar*, *secus*, *nothus*) vel veriloquiis discedunt (ut *incaestum*, *perduelliones*, *postumus*) vel cum aliis auctoribus multo artiore ratione continentur (ut *spiris*, *tonsae*, *pronuba*, *bucina*) vel recentioris aevi vestigia exhibent (ut *aedituus*, *comesationes*, *auctrix*, *procos*). De singulis glossis satis habeo ad ea delegasse, quae Karl exposuit. Vtriusque generis ordines qui contulerit, etiam ex ratione quae inter Festum et glossas intercedat ampliores longe recedere a brevioribus intellet.

§ 21. Ex duobus igitur his fontibus Placidi glossae sunt contaminatae ita, ut modo ampliores glossae praecedant, ut in litteris A,

C, E, G, I, M, O, modo breviores, ut in litteris B, D, F, L, N, P, cum in littera H breviores medium locum occupent; item in amplioribus praecedunt glossae grammaticae, secuntur reliquae. In ordinibus breviorum glossarum rarissime scriptores adferuntur, scilicet p. 28, 26 Plautus Mil. gl. 74 (deest in libris Romanis), p. 6, 10 Virgilius, p. 29, 4 Cornutus et Plinius, p. 33, 10 Cornutus. Saepius auctores in amplioribus glossis appellantur, scilicet Virgilius 9, 16; 9, 17; 24, 1; 24, 3; 27, 2; 32, 3; 37, 32—34; 41, 7 (ter); Sallustius 3, 16; 27, 2; 31, 21; Horatius 9, 18; Cicero 24, 30; 40, 5; Lucanus 37, 39. Plautus (Plautus saecularis poeta ...) 20, 2. His apertis testimoniis addendi sunt aliquot Vergilii loci, ubi deest ipsum nomen, ut 23, 21 (Aen. VII 399); 40, 10 (Aen. III 57; 73; VI 573/4). Sed multo plures locos illorum scriptorum subesse etsi non diserte indicatos et consentaneum est et intellexerunt docti. Qua in quaestione fuerunt qui multum tribuerent Corsiani codicis inscriptioni, de qua supra egimus (*Incipiunt glossae Lutatii Placidi grammatici in Plauti comedias*), quo in numero etiam Ritschellius fuit; cf. notissimae commentationis Op. III p. 60: 'Nicht als wenn nun gleich die Placidusglossen, wie sie uns vorliegen, mit Haut und Haar als Plautinisch in Anspruch zu nehmen wären, was ja angesichts so vieler eingedrungenener Spätlinge — offenbarster, zum Teil recht barbarischer Erzeugnisse des Mittelalters — behaupten zu wollen reine Torheit wäre. Aber darum kann doch ein ursprünglicher Kern Plautinischer Glossen der jetzigen Sammlung, als einer nur durch Überarbeitung mehr und mehr interpolierten, zur Grundlage gedient haben.' Cui sententiae illud favere videatur, quod re vera haud paucas glossas ad Plauti versus pertinere modo demonstrare modo suspicari possumus. Plautinos versus iam Deuerling multis glossis adscripsit, quod haudquaquam pari probabilitate fieri posse ipse intellexit; eandem quaestionem post Ritschellium H. A. Koch Mus. Rhen. vol. XXVI p. 550 sqq., Loewe in Prodr. p. 255 sqq. et Gloss. Nom. p. 95, multi alii opportunitate oblata tractaverunt, ex quorum disputationibus notabiliora exempla sive certa sive diversa ratione probabilia subicere placuit: *involant invadunt, arripiunt* p. 28, 37 = 78, 33 (Amph. 245); *conticinio tempore noctis post galli cantum, quod cecinit et conticuit* p. 15, 24 = 58, 24 (Asin. 685; cf. Gött. Gel. Anz. 1908 p. 820 sqq.); *nautea aqua corii foetida, in qua coria macerantur* p. 33, 32 = 86, 12 = 119, 29 (Asin. 892; Curc. 99; cf. Loewe Prodr. p. 285); *laterna Punica a pellibus, quas ab angulis regularum adfixas extendunt* (Aul. 566; cf. Koch l. s. s. p. 553); *calvitur frustatur, decipit* (Cas. 169); *in fermento est videtur fermentari, id est tacite et dissimulanter ira fervet* (ita Schoell, libri corrupti sunt; cf. Cas. 325 et Merc. 959; fortasse ad alium locum spectat, ubi in fer-

mento est fuit, nisi dittographia est pro in fermento iacet); *conspicillo ita ut conspici possint quod aiunt longis lineis* p. 15, 10 = 58, 13 (Cist. 91; huc rettulit Seyffert); *collativus, magnus, e collatione factus* p. 16, 1 = 57, 27 (Curc. 231; Loewe GL. N. 114); *habitor plenioris habitus* p. 25, 22 = 72, 22 = 107, 36 (Epi. 10); *iudicatus iudicio addictus damnatusque* p. 29, 17 = 79, 7 (Men. 96); *igitur tum, deinde* p. 29, 3 = 76, 4 (Mil. gl. 772); *immoene improbum culpandum vel interdum 'munere liberatum'* p. 29, 9 = 77, 29 (Trin. 24); *nasiterna vas aquarium* p. 34, 3 = 86, 9 = 119, 33 (Stich. 352); *coepere incipere* p. 14, 45 = 54, 8 (Pers. 121); *caudeam iunceam, quod iunceae cauda emergat: dicitur et scirpum et tibi tibi* p. 14, 18 = 53, 12 (Rud. 1109); *ad incitas ad summam rerum perturbationem desperationemque* p. 7, 12 = 44, 19 (Trin. 537); *iterant dicunt, indicant* p. 28, 38 = 79, 1 (Trin. 832); *manifestarium nocentem vel noxium* p. 33, 8 = 83, 6 = 116, 4 (Trin. 895); *habco habito, quod nunc frequentative tantum dicitur; 'qui hic habet' pro habitat* p. 25, 26 = 72, 21 = 107, 37 (Truc. 246). Quibus exemplis petitis ex ordinibus breviorum glossarum docti etiam alia maiore vel minore probabilitate adiecerunt: sed non contigit neque continget demonstrare Plautinas glossas esse fundamentum harum glossarum, cum iam Koch rectissime docuerit (Mus. Rhen. XXVI p. 549 sqq.) etiam aliorum poetarum priscorum vestigia apertissima exstare. Velut *aeque quicquam, nihil* p. 7, 23 = 45, 14 pertinere videri ad Ter. Andr. 434 (cf. Donat. ad h. l.); *ad manticulandum* p. 6, 6 = 44, 25 duce Festo ad Pacuvium referendum esse. *Iuxta oppidum prope carceres* p. 28, 7 = 79, 17 ad Nae-vium revocavit Loewe GL. N. p. 100; *moraciis nucibus longis* p. 33, 16 = 84, 29 = 117, 45 ad Titinium idem ibidem; *ambacti servi* p. 7, 43 = 47, 2 ad Ennium idem ibidem. Idem Loewe haud ita paucas glossas ad Lucilium pertinere docuit Prodr. p. 298 sqq., Gl. N. 97, ut *bubinator tricosus et inconstans* p. 8, 11 = 50, 34 (cf. Lucil. v. 417); nonnullas adiecit Karl l. s. s. p. 90, cum Marx acri iudicio usus haud pauca spre-visset ab aliis prolata. Praeterea nemo opinor Plautinis glossis sex ad urbis Romae loca pertinentes glossas adscribet, de quibus Bue-cheler Nov. ann. vol. 105 p. 567 egit. Sed utut de hac vel illa glossa iudicabimus, vix erit qui neget pro Corsianis illis verbis 'in Plauti comoedias' potius dicendum fuisse 'in priscos auctores': sed cave hoc ad totum glossarium revoces praeter breviores glossas, quae iam Festi testimonia ad priscam latinitatem pertinere demonstrant. Nam quamquam etiam in amplioribus glossis vestigia prisci temporis insunt, in universum tamen a brevioribus longe discrepant. Quis enim cogita-bit de grammaticarum glossarum mole ad priscam latinitatem re-ferenda, quis de noctis partibus, nominibus mensium, glossis ad senatum pertinentibus priscis scriptoribus addicendis cogitare audebit.

nisi risum excitare malet? Recentioris igitur notae est tota haec glossarum συναγωγή, ut ne de lemmatis illis, qualia sunt *Aere vitam ducit ac manu, Fastidiosum renidens, Futura alucinentur, Iuvenale phaos, In aeternae vitae crepidine fundatus, Locis his quae eruerant repletis, Numeros omnimodos pulsas tuo plectro, Romam ex aquilone Raetiae stringunt, Regulas proponentes ac magiae retes*, dubitari possit, quin ad scriptorem recentiorem eundem vel plures non poetam pertineant, quamvis haec vel illa in versuum formas revocata esse a doctis probe sciam. Cuius originis haud pauca vestigia etiam in interpretamentis remanserunt; cf. sub *Numeros omnimodos* e. q. s. verba extrema haec: *alii ennachordon, qui his septem adiunxerunt caelum et terram, vel propter novenarium ab astagiis*, ubi *astagiis* nisi est corruptum recentissimum esse videtur. Cf. quae rectissime exposuit Buecheler Mus. Rhen. XXXV p. 405 et Heraeus Arch. t. VI p. 556. Inter glossas ampliores etiam talia esse quibus non tam prisca verba quam rerum vocabula originatione obscura aut explicatu difficilia exponuntur, ut *noctis partes, nomina mensium, senatus, clima, lacteus circulus, cuniculi, differentia inter iuventus iuventas iuventa* Kettner duce Deuerling p. XVI adnotavit. Ex quibus quae ad '*noctis partes*' pertinent e Suetonii praeo de natura rerum nescio quo modo sumpta esse Kettner vidit ('Zur Kritik der glossae Placidi, Dramburg 1871/1872 p. 14); cf. Becker (praef. ad Isidori N. R. p. XXII) et Reiffersche id (Suet. p. 429). Idem de Isidori verbis valet non ex Placido, sed ex Suetonianis locis ductis. Idem denique valere de mensium explanatione s. v. *Ianuarius*, de glossis *senatus, clima, lacteus circulus, cuniculi*, de differentia inter *iuventus iuventas iuventa* Deuerling praef. p. XVI sq. exponit. Sed de singulis glossis quaerere nolo, nec meum esse puto hoc loco vestigia haud rara, quibus ad hos vel illos auctores ducimur, enotare: in universum de genere et proventu harum glossarum nunc minus quam antea dubitari posse confido.

Placidi copiis quinto vel sexto saeculo usus est qui anthologiae e Salmasianae (cf. praef. p. V) praefationem notissimam e glossematis consarcinavit eumque vocabula tantum non omnia ex ordinibus breviorum i. e. vetustissimarum glossarum mutuatum esse vel obiter intuenti facile apparebit. Ex amplioribus glossis hae fluxerunt: *antistat, coniecat, lampenam, alucinari*. Desunt omnino apud Placidum hae: *pos, obblatero, inreptet, ravim, carnatoriis, returem, vasculam, oppitandum, pedam, vitulantibus, coagmentem, sonivium, fellibrem, tensore, struppos*. Ex his quae deficiunt quattuor tantum in litteris A—N locum habuerunt, reliquae omnes in litteris O—V: quare cum constet extremas litteras glossarum multitudine a prioribus differre, Loewe Gl. N. p. 85 sqq. in his lemmatis accedentibus partem glossarum amissarum superesse coniecit.

Desunt autem in nostris libris, ut Karl docuit, in litteris Q—V omnino breviores glossae: videtur igitur qui composuit praefationem exemplari glossarum usus esse, quod in litteris A—P paucis quidem glossis abundavit, extremos autem breviorum ordines, quos in his litteris nunc deesse vidimus, etiamtum habuerit. Nam quae exstant in praefatione glossae, tales sunt, quas ad breviores pertinuisse ultro conicias, praesertim cum etiam inter has glossas plures cum Festo cohaereant, ut de brevioribus supra exposuimus (p. 66); cf. *pedam. ravim, sonivium, struppos, vitulantibus*. Quod qui verum esse putabit, etiam in his litteris breviorum ordines olim quidem exstitisse, sed nescio quo casu perisse sumet; quos nondum sic uti nunc sunt cum aliis fuisse contaminatos existimo, sed loco discretos. Quamvis incertam esse hanc coniecturam ipse concedo.

Quomodo glossae Placideae in reliqua glossaria viam invenerint, partim infra exponetur, partim ex eis quae praef. vol. V p. XIII—XX exposuimus intellegitur: nunc ad Nonium pergo, quocum haud ita paucae glossae aperto quamvis non eodem omnes vinculo coniunctae videntur.

CAPVT VII. DE NONIO MARCELLO ET FVLGENTIO

§ 22. Nonii glossas a viris doctis saepius tractatas esse iam in ea parte qua de vestigiis Verrii vel Festi verba feci expositum est (cf. p. 11). Ex quibus glossis nunc tales affero, quae artiore quadam ratione cum Placido cohaerere videantur: *coepere incipere* Plac. V 14, 45 = V 54, 8 = Non. 89, 14 (*coepere incipere*); *conspicillo ita ut conspici possint, quod aiunt longis lineis* V 15, 10 = V 58, 13 = Non. 84, 5 (*conspicillum, unde conspicere possis*); *exspes sine spe* V 18, 12 = V 67, 18 = Non. 12, 4 (*exspes dicitur sine spe*); *facesse, fac, interdum <recede>* V 22, 32 = Non. 306, 26 (*facessere est facere*) et 306, 32 (*facessere significat recedere*): cf. V 23, 5 = V 68, 10 = V p. XVI; *famulatio servitium, ut eritio dominatio* V 22, 9 = V 68, 21 = Non. 206, 34 (*famulatio ut dominatio*); *formum calidum* V 22, 3 = V 70, 12 = Non. 531, 24 (... *a formo quod est calido*); *hiare aperire* V 25, 16 = V 74, 3 = Non. 318, 30 (*hiare est aperiri*); *ibus iis, illis*. *Plautus in Milite glorioso: ibus stipendia dinumerem* V 28, 26 = V 75, 9 = V 110, 35 = Non. 486, 11 (*ibus pro is ... Plautus Milite: latrones, ibus dinumerem stipendium*); *iuentus iuventas iuventa. iuentus iuvenum multitudo, Iuventas dea iuventutis, iuventa ipsa nostra aetas* V 28, 10 = V 79, 6 = Non. 433, 13 (*iuentus et iuventa et iuvenilitas differunt hoc: iuventas iuvenes, iuventa aetas ipsa e. q. s.*); *nasiterna vas aquarium* V 34, 3 = V 86, 9 = V 119, 33 = Non. 546, 5 (*nassiterna vas aquale*); *sacrilegium di-*

citur sacri furtum; legere enim et sublegere furari dicitur V 42, 13 = V 97, 15 = V 146, 53 = Non. 332, 33 (*legere subripere significat: unde et sacrilegium dicitur, id est de sacro furtum; secuntur exempla, in quibus 'sublegere' est eo quem exspectamus sensu*). Quibus exemplis alia non ita pauca, sed minore plerumque evidentia addi possunt. Ex quibus noli conicere Nonii copiis usum esse qui Placidi glossas consarcinavit; nam quae similes sunt glossae complures apud Paulum Festumve exstare his credes exemplis: p. 59, 11 *invenitur quoque apud maiores et infinitivi modi coepere*; p. 86, 18 *facessere significat interdum facere . . . interdum vero pro abeat ponitur*; p. 87, 4 *famuletium dicebatur quod nunc servitium*; p. 104, 10 *iuventutis sacra pro iuvenibus sunt instituta*; p. 169, 11 *nassiterna est genus vasis aquari*. Quibus nescio an *conspicillo, ibus, hiare* addi possint, quas Paulus non exscripserit. Longe plurimas harum glossarum inter glossas breviores Placidi locum habere moneo, id quod optime congruit cum ratione supra accuratius tractata (p. 64 sqq.). Qua via glossae quae cum Festo conspirant in Nonii compendiosam doctrinam pervenerint, duplex est virorum doctorum sententia: aut ex ipso Festo vel Verrio fluxisse existimant, quod me quidem iudice minus probabile est, aut ex commentariis fluxerunt easdem cum Festo glossas praeter alia continentibus. Ceterum Nonium quinque glossariis usum esse Lindsay coniectura est, de quibus conferatur eius libellus qui inscribitur 'Nonius Marcellus Dictionary of Republican Latin' ed. Oxonii a. 1901; adde Mus. Rhen. LVII p. 196 sqq.): quorum tamen glossariorum si quando fuerunt cum nulla vestigia relicta esse videantur, non meum esse puto in difficili hac re et ab his quaestionibus aliena iterum desudare.

Neque vero haec quam modo tractavi sola et unica ratio est qua glossaria cum Nonio cohaereant. Quinti enim voluminis p. 637 sqq. editum est glossariolum sic inscriptum: *Incipiunt glosas Agelli et Marcelli*; ubi *Marcellus* est *Nonius Marcellus*, *Agelli* autem est *Auli Gelli*. Edidi has glossas ex codice Leidensi¹⁾; antiquiorem formam, h. e. lemmata testimoniis abiectis in brevius redacta et in marginibus codicum Nonianorum adnotata, ex apographo I. H. Onionsii publici iuris fecit W. M. Lindsay 'Harvard Studies' vol. IX p. 70 sqq. De glossarum harum condicione et auctoritate cf. G. Loewe Prodr. p. 170 sqq., Gl. N. p. 234 sqq., L. Mueller Nov. Ann. t. 93 p. 389 sq., Advers. Non. p. 271 sqq., Hertzius Gell. ed. mai. II p. XXIV, Lindsay praef. Non. p. XX sqq.,

1) Arevalus in Isidorianis vol. II p. 265 codicem Vaticanum 1558 adfert: *incipit liber de proprietate sermonis ex Nonio Marcello iuxta seriem alphabeti: Avernus lacus* etc.; *desinit Vulpinari dictum est* etc. Idem aliud glossarium anonymum: *Apud iuxta* commemorat, a qua glossa etiam Leidensis collectio incipit. Hunc codicem non vidi.

Goetz praef. vol. V p. XXXV (ubi in alia glossaria quomodo transierint exposui). Ab his glossis diversae sunt quas e codice Harleiano excerptas Lindsay in Arch. vol. IX p. 598 sq. paucis tractavit ad mediam vel seram latinitatem spectantes; quas tamen, cum scholia potius iure vocentur quam glossae, ne Additamentis quidem inserendas putavi (cf. idem Lindsay praef. Non. p. XXV; scripsit corrector cod. Harleiani saec. X). Quod A. Gellio tribuuntur glossae Nonianae, notabile esse existimo, cum Nonium ex Gellio saepissime pendere vetusto hoc testimonio confirmari appareat. Glossarium quod in codice Leidensi 67 E exstare monuit Loewe Prodr. p. 146 cum hac inscriptione: *Incipiunt glose noni cum ciceronis*, certe Nonii non est, sed maximam partem 'e Ciceronis personati synonymis . . . derivatum', ut ex his excerptis apparet: *auruspex mathematicus auriolus augurio praesagatur inspector sortilegus magus, aucupes uiscillarii inscantes (= uisc.) cantu fallantes fistolarii, excersit euasit erupit effug elapsus est extulit se eripuit se, homicida latro sicarius gladiatur pcussor emissarius sanguinarius sanguibibus grasator, mollis mansus mansuetus sincer, murice siricum byssum iacinctum celinum erenimus veste regia purpora regia, opacum arbustum silvestre nemorosum stirpetrum, uix ista mox ista necdum ista dixerat*. In quibus serae latinitatis vestigia sunt apertissima. Cf. Lindsay 'Harv. Stud.' IX p. 68 adn.

His Nonii vestigiis addendi sunt nonnulli loci sub ipsius nomine allati, ut his in glossis Aynardi (Corp. gl. V p. 615 sqq.; cf. Manitius Gesch. d. lat. Lit. d. M. I p. 488 adn. 1): *bidentes sunt biennes oves, id est duorum annorum, non a duobus dentibus, quod falsum est teste Marcello* (p. 53, 13); *silicernium est adhuc lugubre carmen, quod senibus exhibetur teste Nonio Marcello* (48, 3); *vopiscus est tarde natus vel qui ex duobus conceptis uno abortu excluso alter ad partum legitimum deducitur teste Marcello* (p. 557, 3). Item in glossis Iuvenalianis (V p. 652 sqq.) haberi tenuissima quaedam lectionis Nonianae vestigia Lucianus Mueller Advers. Non. p. 273 adnotavit; cf. *sublevit illusit* (Non. p. 45, 18); *tolutim volubiliter* (p. 4, 1). Porro Guilelmus Schmitz in codice Bernensi quodam (358) notarum Tironianarum saec. X invenit excerptas ex Nonio aliisque scriptoribus glossas quasdam, manu secunda additas. Cf. quae dicta ab eo in Panstenographici Lipsiae a. 1869 editi I p. 207 sq. Denique in glossario Barthii recentiore (cf. Mommsen Opusc. VII p. 515 et infra p. 339) etiam Nonii copias adscitas esse Loewe Prodr. p. 164 monuit.

§ 23. Cum Nonio coniungo quem ante me iam Hadrianus Iunius, item Mercerus et Gerlach cum Rothio alique cum Nonio ediderunt 'Fabii Planciadis Fulgentii v. c. expositionem sermonum an-

tiquorum ad grammaticum Calcidium' (Helm p. 109—126), h. e. sexaginta duo vocabula glossematica explicata et testimoniis illustrata opera Fulgentii, quem episcopum fuisse notissimum Ruspensem contra Lerschium (Bonnae a. 1844) Skutsch P. R. E. s. v. Fulgentius et Otto Friebe (Fulgentius, der Mythograph und Bischof = Studien zur Gesch. und Kultur des Altertums, Paderborn 1911) demonstrarunt et evicerunt. Quod cum Nonio coniunxerunt docti hoc opusculum, recte fecerunt, cum Fulgentius ipse Nonii copiis usus esse videatur (cf. L. Mueller Advers. Non. p. 259 sq.; Wessner Fab. Planc. Fulg. Expos. serm. ant. = Comment. phil. Ien. VI 2 p. 134); quamquam praeter Nonium etiam aliorum scriptorum locos velut Festi et Varronis sive ipsorum sive scriptorum ab illis pendendum videtur ante oculos habuisse. Nec illud improbabile Fulgentium etiam glossas nescio quas vetustiores inspexisse, quarum nunc praeter id quod tractamus opusculum nec vola nec vestigium exstat: nam quae similitudines deprehenduntur inter Fulgentium et glossaria nostra — nisi ita explicandae sunt, ut Fulgentiana in glossaria recepta esse dicamus — non tales sunt, ut horum vel illorum glossariorum locos a Fulgentio adhibitos esse contendamus. Tota autem quaestio vix umquam ita solvetur, ut omnis scrupulus ex animo evellatur; nam tanta est scriptoris in glossis concinnandis sollicitudo levitas vanitas, vix ut possit superari. Quod cum ita sit, non potui a me impetrare, ut 'Expositionem sermonum antiquorum' ipsam inter monumenta glossographica reciperem. Ac si nihilo setius longe plurimae Fulgentii glossae sexto et septimo voluminibus illatae sunt, hoc inde repetendum est, quod Fulgentii liber formam glossarii induit et sic in ipsa glossaria transmigravit: de qua re satis habeo quae Wessner adscitis Loewii et Gundermanni excerptis et adnotationibus l. s. s. p. 139 sq. composuit commemorasse, scilicet haec: 'die Exposition sermonum antiquorum eignete sich sehr gut zur Herstellung eines Glossars; man brauchte nur die Belegstellen wegzulassen resp. die Lemmata mit den Erklärungen zu excerptieren. Zwei solcher einander sehr ähnlicher Excerpte haben wir im Cod. Monac. 14429 und Cod. Sangall. 397, beide aus dem 10. Jhd. hundert und voneinander unabhängig; ferner im Paris. 2685 s. X, Bonn. 218 saec. XI und Paris. 8048 s. XIII, in letzteren beiden Handschriften unvollständig. Einen nicht ganz durchgeführten Versuch der Kürzung haben wir in der Kölner Hs., die ja auch den Vermerk 'Excerptum' trägt. Solche Fulgentiusglossare hat man nun offenbar schon frühzeitig angefertigt und die Glossen in andere Glossensammlungen eingereiht. Dies ist im Cod. Vatic. 1468 s. X der Fall; hier sind die Zwischenräume zwischen den Glossen des ursprünglichen Glossars durch eine zweite gleichzeitige Hand ausgefüllt und unter diesen

Glossen findet sich auch eine Anzahl, die aus der *Expositio* s. a. stammen. Im *Codex Vaticanus* 1469 und *Cassin.* 90, beide ebenfalls aus dem X. Jahrh., finden sich die *Fulgentiusglossen* gleich von erster Hand mitgeschrieben, woraus man den Schluß ziehen kann, daß unser Werkchen schon im 9. Jahrhundert, wenn nicht noch früher, behufs Aufnahme in *Glossare* excerpiert wurde. Ein paar *Fulgentiusglossen* (*Simpolator* und *Suggrundaria*) finden sich auch in den *glossae Scaligeri* (= *Isidori*). In den übrigen *Glossaren* des *Corp. Glossar. Latin.* IV und V lassen sich *Glossen Fulgentianischen* Ursprungs nicht nachweisen; hier und da vorkommende Übereinstimmung deutet vielleicht auf Quellengemeinschaft, dann allerdings nur ganz indirekte Hierher gehört auch das *Elementarium* des *Papias*, in welches zahlreiche *Glossen* aus der *Expos.* aufgenommen sind. Auch bei *Osbern* finden sich häufige Anklänge an *Fulgentius*, der, wie die Stelle p. 627 zeigt, dem Verfasser der *Panormia* nicht unbekannt war. In ein paar *Glossensammlungen* finden wir nicht die kurzen *Glossen*, sondern die vollständigen Artikel des Schriftchens excerpiert und unter andere *Glossen* aufgenommen; hier sind zu nennen der *Cod. Cheltenhamensis* 4626 und der *Ambrosianus* C 203 inf., letzterer aus s. X/XI.

Praeter ea quae commemorata sunt glossaria — codicem Oxoniensem *Iun.* 83 (*Bodl.*) saeculi XIII ipse *Wessner* l. s. s. p. 79 attulit — etiam alia vestigia harum glossarum memorabilia exstare ex medio quod dicunt aevo propagata post ea quae *Lersch* *Mus. Rhen.* V 312 sq., *Hellmann* in *Traubii* 'Quellen und Untersuchungen' I 1 (*Monach.* 1906) p. XIV, *Goetz* 'Berichte der Königl. Sächs. Ges. d. W.' 1896 p. 73 sqq. diximus, *Wessner* p. 140, *Skutsch* p. 227 exposuerunt. Quam vero auctoritatem *Fulgentius* habeat in quaestionibus glossographicis, ex eis quae attuli satis apparebit. Qui quin nonnulla ex bonis fontibus hauserit, in his fortasse etiam ex hoc vel illo vetusto glossario, nullus dubito: sed cum ubique summa neglegentia nec minore vaniloquentia atque adeo mendacio usus sit, in universum magis ex glossariis sinceris hominis sublesta fide memoriam resuscitare poterimus quam ex hac quaestiones glossematicas illustrare. Certe qui promptuariis glossarum recte uti volet, ei semper cavendum erit, ne *Fulgentii* verbis decipiatur.

CAPVT VIII. DE SYNONYMIS CICERONIS

§ 24. *Glossemata* qui interpretati sunt saepe etiam synonyma quae dicuntur pro vocabulis glossematicis posuerunt, usitatiora scilicet pro obscurioribus: unde fit, ut cum doctrina quae est de synonymia a Graecis olim exulta et ad Romanos propagata reapse coniunctissimae sint quaestiones glossographicae. Ac saepius totae synonymorum

series iam in vetustissimis glossariis occurrunt eaeque magis minusve cohaerentes cum synonymorum collectionibus peculiaribus quae in libris manu scriptis etiamnunc circumferuntur. Velut in optimo codice Vaticano 3321 (saec. VII) addidit m. 2 hanc glossam (p. 134, 3): *Orator auctor causidicus patronus defensor eloquens facundus ingeniosus disertus promptus paratus copiosus opimus profluens abundans*: a qua vetustissima synonymorum recensio incipit. Sed etiam Pseudocyrilli qui dicitur exemplar saeculi VII talia synonyma exhibere p. 38 exposui. Accedunt multa alia glossaria et vetusta et recentiora, quae ex synonymis materiem suam ditaverunt, ut his recte uti qui velit de auctoritate horum synonymorum quaestionem prorsus neglegere nullo modo possit. Quod cum ita sit, paucis de his synonymis disputandum esse censi, non quo totam rem exhaustirem, sed eorum potissimum ut utilitati prospicerem, qui de glossarum fontibus quaerent.

Synonymorum quae in libris manuscriptis Ciceroni adscribi solent collectiones modo substantiva exhibent, ut *Signa argumenta rationes notae indicia testimonia vestigia coniectura suspiciones* (in codice Harleiano 5792 vetustissimo, ex quo etiam quae secuntur attuli) aut adiectiva, ut *Acer vehemens atrox concitatus ardens gravis acerbis asper amarus*, aut verba ut *Docet demonstrat planum facit probat declarat ostendit colligit explicat enodat expeâit ad purum perducit ad liquidum* (<perducit>), aut adverbialia, ut *Plane aperte diserte lucide distincte subtiliter ordinate eleganter*, saepius etiam talia qualia sunt *Vt res tulit ut postulauit ut poposcit hos ut exigit hos ut convenit ut par fuit ut decuit ut aequum ut rectum*, quibus accedunt alia. Quae collectiones modo sui similes sunt, modo magis minusve inter se differunt, modo prorsus diversam materiem habent. Omnino autem, quantum quidem ex excerptis meis, imprimis Parisinis, Leidensibus, Bernensibus, Londinensibus — neque enim semper synonymorum in excerptis meis olim conficiendis rationem habitam esse moneo, ut non possim spondere non hanc vel illam collectionem meliorem me fugisse — cognoscere potui, tres synonymorum classes constitui possunt. Prima classis eorum est quae ab *Orator actor* incipiunt: cuius classis bipertitae libri aut nullam habent praefationem, ut cod. Harleianus 5792 saec. VII († INC SINONYMA

LLI CICERONIS DE COPIA LINGVE LATINE *Orator actor defensor ... scientia doctrina eruditio*), aut epistolam Ciceronis ad Veturium (vel Veturium) praemittunt, ut cod. Parisinus lat. 2183 saec. XI (*Incipit synonyma ciceronis. Cicero veterio salutem ... Igitur ab oratore initium capiamus. Orator actor defensor*), Montepessulanus H 416 saec. IX (*Cicero veterio salutem Orator auctor defensor*), Leidensis XVIII 67 F (*Collegi ea quae e. q. s. Orator auctor ... explicit synonyma artis*

retoricae feliciter et paulo post *Cycero vetere suo salutem* ... *Igitur ab Oratore incipiamus* e. q. s.), Bernenses Hageni (Anecd. Helv. p. CXVII) 178 saec. IX et 258 saec. IX (*Cicero veterio salutem* ... *Igitur ab oratore incipiamus* [initium 258] *capiamus*. *Orator actor* [*capiamus sic* INCIPIVNT GLOSE SENONIME CICERONIS *Orator actur* 258]). Secunda classis epistolam quidem habet, sed singulae synonymorum series ad alphabeti ordinem redactae sunt; harum igitur prima glossa est *Abditum opertum obscurum* e. q. s. Materies plerumque eadem est quae in illis quos modo dixi codicibus exstat; in singulis maiores vel minores diversitates sunt modo aucto synonymorum numero modo contracto vel alia ratione mutato; exempla sunt haec: cod. Parisinus 7641 saec. X (*Veturio Cicero salutem* ... *igitur per alfabetum initium capiamus*. *Abditum* ... *exspectat sustinet*. *Explicit synonyma artis rethoricae Ciceronis de formulis spiritalibus intellegentiae*); cod. Parisinus 242 saec. IX (*Incipit synonyma ciceronis*. *Veturio suo* ... *igitur per alfabetum initium capiamus*. *Abditum* ... *Explicit synonyma artis retoricae*); cod. Leidensis lat. 24 saec. X (*Incipiunt synonyma cyceronis*. *Veturio cycero salutem* ... *igitur per alfabetum initium capiamus*. *Abditum* ... *Explicit synonyma cyceronis artis rethoricae*).¹⁾ Ex tali recensione synonyma pendunt quae Mahne (M. Tullii Ciceronis quae vulgo feruntur Synonyma ad Lucium Veturium Lugd. Bat. 1850. 1851), primum ex editione Romana anni 1487, tum ex editione Parisina anni 1583 repetenda curavit.²⁾ Tertia classis complectitur synonyma sine epistula ad litterarum ordinem digesta, velut cod. Neapolitani IV A 8 saeculi VIII (cf. Keil Gramm. lat. I p. X: *Incipiunt synonyma Ciceronis ordine litterarum composita*. *Amor ardor* ... *veru ensis gladius spatha sica mucro hasta lancea vacilla*. *Expliciunt feliciter synonyma Ciceronis ordine litterarum composita*³⁾); Montepessulani H 160 saec. IX (*Incipit sinonima*.

1) Ex simili collectione synonyma hausta sunt quae exstant in cod. Parisino lat. 10588 saec. VIII/IX fol. 75—138, ubi haec est inscriptio: *Davit de xpo cuncta profetauit et iosep qui corpus dni sepeli. In xpi nomine incipit ermeneumata ceceronis* *Abditum absconditum Abstrusum remotum latens abscon.* Haec subscriptio est: *Exphi ermeneumata ceceronis. amen.* Cf. IV praef. p. XXVII.

2) His synonymis iam Ruhnkenium operam suam impendisse ex Mahnii praefatione p. V didici. Idem Ruhnkenius discipulum suum Ruadium ad edenda synonyma impulit, qui tamen opus ad finem non perduxit. Cf. Ruhnkenii Epistolae a Mahnio editae fasc. III p. 153 sqq. Ceterum primis litterarum renatarum temporibus etiam praeter illa quae attuli exemplaria saepius typis exscriptas esse has reliquias moneo.

3) Ex eis quae Carolus Barwick ex hoc libro in meum usum excerpsit, facile intellexi contineri haud paucos ordines cum classe secunda, velut *Belua fera iumentum luteus asinus* (?) *lutulentus plumbeus vecors bestia* = p. 7 (Mahne 1) *Belua iumentum asinus sus luteus lutulentus plumbeus pecus fucus*; *Vsitatum so-*

Auctor orator Absolutus prestantissimus . . . Vincula catene tormenta carcer nervus custodia verbera ignis acoleus fustes fragli flagelli). Eodem pertinere videntur codicis Vaticani vetustissimi 3321 '*synonyma. Acer intentus veemens atrox concitatus ardens*' (in fol. 164 sqq.). Primae classis pars altera et tertia classis quae etiam vetustate eminent cum pariter epistolam omittant, hanc saeculo demum nono additam esse suspicor primae classis exemplari; quae deinde mutata est in collectionem alphabeticam pro *Veterio* reposita forma *Veturio* quae in prima classe rarissima videtur esse. Formam quae est *Lucio Veturio* nisi in recentissimis libris saeculo XV vix prioribus non inveni (cf. Sittl Arch. VI p. 595). In alphabeticis exemplaribus secundae classis saepe exstat haec vel similis subscriptio: *synonyma Ciceronis artis rhetoricae* (cf. codd. Paris. 7641 saec. X et 242 saec. IX, Laudun. 463 saec. XII, Leid. Voss. lat. 24 saec. X). In Harleiani vetustissimi inscriptione hoc est: *de copia linguae latinae*. Ibidem ante posteriorem collectionem exstat: † *INCP: GLOSSA · SYNONIMA · CICERONI* ., ubi confidenter scriberemus *Ciceronis*, nisi in pagina sequenti legeretur: *INCP: GLOSSA · SYNONIMA · Q^{VE} · CICERONI* . Quamquam ne nunc quidem *tribuuntur* vel simile aliquid audeo supplere: videtur qui *que* scripsit '*glossa*' et '*synonyma*' coniungere voluisse. — Epistolae autem variae exstant recensiones, ex quibus nescio an haec vetustior forma evadat quamquam non satis plana, quam adnotata discrepantia potiore optimorum librorum placuit subicere (cf. Hagen Anecd. Helv. p. CXVII):

'Cicero Veterio salutem. Collegi haec verba quae pluribus modis in unum digestis dicerentur, quo uberius promptiorque fiat oratio verborum consertione, quorum plerumque multo maior pars trahi <potest> in has omnes formas studentibus profuturas, cetera[e]que convenient, quod minime mirum sit, si pluribus locis eadem verba saepe releg[er]entur. Erunt enim

1 *vetere suo* Leid. 67 F | *haec verba* | *ea quae* Leid. 67 F | *pluribus* Leid. 67 F. *plurimis* multi | *in unum digestis* om. Leid. 67 F || 2 *dicerentur* Bern. 258 | *quo* | *quod* Bern. 258. om. Leid. 67 F | *promptior* Bernenses. *pruntior* Montep. Leid. 67 F | *fiat* | *et* Leid. 67 F || 2 sq. *eorum assertionum* (haec duo verba om. Leid. 67 F) *quorum plerumque multo* (om. Bern. 258 et Leid. 67 F) *maior pars traditur* (*trahi* Leid. 67 F) *verborum consertione* (vel *consertionum*; haec duo verba om. Leid. 67 F) *libri, quae correxi* || 4 *studentibus profuturas*] *posset* Leid. 67 F | *ceterum conueniet minime ac mirum erit* Leid. 67 F | *his eo quod* cod. Paris., Bern 258 || 5 sq. *sit*] *erat* Montepess. | *pluribus* Leid. 67 F *in plurimis* multi | *verba leguntur* Leid. 67 F | *Erunt enim quod non memoriam fugerent* Leid. 67 F

litum adsuetum cotidianum crebrum adsidium vulgare frequens familiare = p. 67 (Mähne 1) *Vsitatum solitum assuetum familiare frequens quotidianum crebrum assidium vulgare, alia.*

magna (?) quod nostrae memoriae non refugerint aut quod multis significationibus dicta[e] convenient remota. Igitur ab Oratore initium capiamus.¹

1 fuerint Bern. 258 | pluribus pro multis Leid. 67 F || 2 ueniunt remora Bern. 258. ueniat Leid. 67 F | incipiamus Leid. 67 F.

Qua cum forma comparanda est recensio Romana Mahnii: *Collegi ea verba quae pluribus modis dicerentur, quo uberior promptiorque esset oratio, quorum plerumque multo maior pars in has orationis formas accommodari possit. Ceterum conveniet minimeque mirum erit, si pluribus locis eadem verba legentur, aut quod memoria fugerint aut quod pluribus significationibus convenient. Igitur per alphabetum initium capiamus.* A qua forma Parisina recensio (p.V) magnopere differt. — Synonymorum Harleianorum recensio prior sic incipit: *Orator actor defensor patronus causidicus disertus eloquens facundus ingeniosus promptus etoimos exercitatus copiosus opimus profluens abundans dicentarius.* Vt in hac serie semel graecum interpretamentum adiectum est, ita saepius idem accidit, velut in his: *comptus ευγκεημενος ευθετος* (cf. *συγκειμενος* II 440, 12; *ευθετος* II 317, 18); *elatus επηρμενος* (II 306, 58); *pestantissimus* (sic) *ειαφορωτατος* (cf. *praestantior διαφορος* II 275, 43); *sagax εχεφρων αρχινους πολυπειρος* (II 321, 26 + II 217, 48 + II 412, 53); *gnarus ειδημων εμπειρος επιστημων* (II 285, 12 + III 449, 80 + II 311, 16); *cordatus σκοπος κατανοντικος* (*κατανοητικός*); *politus εξησκημενος* (II 303, 31); *stolidus ηλιθιος* (II 324, 3); *incomptus ασυνθετος αθετος* (cf. *incompositus ασυνθετος* II 249, 11 et *incomptus incompositus*); *indoles ευφυης* (cf. II 320, 21); *adfatim δασιδως* (II 266, 54 *δασιλως*); *affectat παρατιθεται*; *adpetit ορεσεται* (cf. *appeto ορεγομαι* II 386, 28); *vastitas ερημια* (II 314, 11); *depresset κατωφερεις* (II 346, 51 *depreste κατωφερές*); *erutus ανεσκαμμενος*; *emissarius οκαταβαλλονφονευων*; *ferumen τερας* (II 453, 22); *procax προπετης* (II 419, 50); *biles χολικος* (cf. II 477, 51 *χολικός biliosus* et *χόλος haec iracundia* II 477, 53); *profligatus πεπωρωμενος* (II 401, 57); *destinus μονοτονος* (II 373, 11); *persulat εξοριζεται* (cf. *εξοριζω exulo* II 304, 10). In quibus tantus est cum Pseudocyrillo consensus, nullo modo ut casui tribui possit, praesertim cum in eodem codice utraque materies contineatur. Certe is qui scripsit plura addere graeca interpretamenta in animo habuit: quod cur non fecerit incertum est.

Ciceroni haec quae circumferuntur synonyma immerito adscribi dudum intellexerunt qui haec litterarum monumenta attigerunt; velut 'Erasmus iudice est tumultuaria non adeo multarum vocum collectio, ab aliquo Ciceronis studioso utcumque facta ex eius scriptis' (verba sunt Fabricii Bibl. lat. ed. Ernesti I p. 214: Fabricius ipse synonyma

Ciceronis et eiusdem differentias confudit); porro Mahnius p. V diserte negat Ciceronis haec esse; idem non uno loco adnotavit hoc vel illud vocabulum apud Ciceronem non exstare, posterioris latinitatis esse, expungendum esse, ut alia mittamus. Quod Sittl Arch. VI p. 595 Ciceronem quendam grammaticum recentissimum, quem Vergilius Maro saepius commemorat (de quo cf. Manitiſius p. 126), eundem quem glossarium Vatic. 1469 saec. X affert (*eresim Cicero sine aspiratione scribi debere ait*), auctorem esse suspicatur, nullo modo probari posse 'Berl. phil. Wochenschr.' a. 1890 p. 195 sq. exposui. De eadem quaestione I. W. Beck ibidem p. 298 sqq. disputavit, cum Sittl suam sententiam p. 267 a me defenderit. Beckii commentationem 'De Synonyma Ciceronis, een handboek der Synonymiek uit den tijd van Fronto, Bijdrage tot de geschiedenis der latijnsche lexicographie' (in annalibus qui inscribuntur *Coniunctis viribus* III 3 (1889) p. 158—186) in meas manus non pervenisse doleo. — Synonymiam iam vetustioribus temporibus a rhetoribus tractatam esse Quintilianus IX 3, 45 testis est nec casui tribuendum puto, quod rhetores inprimis ex Cicerone synonymiae exempla petebant, ut Isidorus p. 518, 20 Halm.: *Synonymia est quotiens in conexa oratione pluribus verbis unam rem significamus, ut ait Cicero: nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, et item: non feram, non patiar, non sinam [et item opem ferre, auxilio esse opitulari succurrere et cetera similia add. liber glossarum]. Item liber glossarum haec exhibet: sinonima est quotiens plures sensus non quidem ab hisdem verbis incipiunt, sed ab eodem effectu communitatis ut abiit, abscessit, erupit, evasit et Cicero: callida mens, astutus animus, saxes (= sagax) animus, rigens animus. Nec illud neglegendum videtur, quod Fronto p. 151 Nab. ad M. Antonium imperatorem haec scribit: *tum si quando tibi negotiis districto perpetuae orationis conscribundae tempus deesset, nonne te tumultuariis quibusdam et lucrativis studiorum solaciis fulciebas synonymis colligendis, verbis interdum singularibus requirendis?* Quibuscum conferenda sunt quae apud eundem Frontonem exstant p. 154. Ex his et similibus locis non improbabile fit, olim collectanea synonymorum ex Cicerone potissimum excerpta et paullatim aucta extitisse (cf. etiam quae Beck l. s. s. composuit), quae sexto saeculo non tam fundamento quam exemplo fuerunt magistellis in discipulorum usum synonyma colligentibus: unde etiam nomen desumptum esse puto. Ceterum ex eis quae mihi innotuerunt collectionibus — inter vetustiores etiam illa numeranda est quam auctor libri glossarum exhibuit divitissimam et interpretamentis deinceps pro lemmate positis ultra modum auctam et cumulatam (cf. Hagen p. CXVIII, Goetz der lib. gl. p. 5 sq. = 215 sq.) — nullam saeculo sexto vel quinto priorem esse*

existimo, licet singula synonyma ex vetustioribus collectionibus transscripta esse putes. Num talem collectionem Isidorus ed. Arev. VI p. 473 (quem iam Hagen l. s. s. p. CXX attulit: '*venit nuper ad manus meas quaedam schedula Ciceronis quam synonyma dicunt, cuius formula persuasit animo quoddam lamentum mihi vel miseris condere*') in mente habuerit, nunc magis quam olim dubito; primum enim in paucioribus tantum codicibus illud *Ciceronis* exstare videtur; tum illud 'lamentum' quod sibi vel miseris condidit Isidorus omnino nullam cum eis quas novimus collectionibus similitudinem prae se fert, quod quamquam aliquatenus ex instituta ratione explicari potest, tamen, ut apud Isidorum, mirum est. Vt autem etiam ipse aliquid ad tractanda synonyma conferrem, Harleiani codicis synonyma posteriora (a fol. 268^v) nondum edita subicere placuit adnotationibus ad singula emendanda vel explicanda adiectis (sed ut quae quasi *κονυθόν* scripta sunt iuxta ponerem).

- § 24. 1. *Arba humo terra arida agera tellum rura.*
 2. *Verecundia reverentia* (secuntur duo v. vacui quibus in margine adscriptum est *deletum*).
 3. *Absorditas ignominium* (secuntur quattuor v. vacui quibus in margine adscriptum est *deletum*).
 4. *Adulscens inpuves epheus inuersius puer.*
 5. *Peccator facinorosus impius delector scelerosus nefas reator admisor piaculator.*
 6. *Cerne |||||* (*aspice erasum*) *aspice uide prespice intue specula atende contemplar.*
 7. *Questiones interrogationes enigmata adersiones.*
 8. *Intactus inproximus intenuos inquerellatus.*
 9. *Subito statim frequentē mox confestim protinus continuo ilico repente de presenti ocius citius ardentius festinanter peruiciter celeriter uelociter ueriliter stanter.*
 10. *Macula lauem nota flagitium dedecus . . . pem uitum offectio.*
 11. *Diuinam nectareum (!) inuescitam.*
 12. *Molestia egritudo egrimonium inuicilitas infirmitas.*
 13. *Mansuetudo mituositas clementia.*
 14. *Adprehenditur tenetur aripitur nanciscitur.*
 15. *Insidiauit inuidiauit zelauit emulauit.*
 16. *Colliget congregat addet auget augeret augmenta.*
 17. *Fortis firmus ratus rouustus ualidus ualens stauilis prepoter.*

1. = *humus* | *agera* = *agri* | = *tellus* || 3. = *ignominia* || 4. *adulescens* | *inpuves* | *ephebus* | *investis*? | *inberbis*? || 5. *delictor* | *nefarius* | *ex reatus factum* | *admissor* | *ex admissum factum* | *ex piaculum factum* || 6. *perspice*? | *attende* | *contemplare* || 7. *adseritiones* || 8. *inproximus* | *novum* | *ingenuus*? || 9. *frequenter*? | *perniciter* | *viriliter* | = *instanter* || 10. *labem* | <*tur*>*pem* = *turpe*? | *uitium* || 11. *investitam*? || 12. *inbecillitas* || 13. *ex mitis factum*? || 14. *arripitur* || 15. *insidio insidiavi* | *analogis formis firmari potest* || 16. *Colligit* | *addit* | *aggetit* | *augmentat* || 17. *robustus* | *stabilis* | *prae-potens* ||

18. *Dux impulsor ciuis perniciosus hortator du umber iudex aruiter.*
19. *Agreste indomesticus indomitum.*
20. *Domum habitaculum larem aedem aula[m] magalium mapalium dieta prunctuarium.*
21. *Nonsperantes diffidentes noncredentes* (secuntur 11 versus vacui; item quae sequitur columna vacua).
22. *Medicus* (secuntur tres v. vacui; in margine est: *deletum*).
23. *Dementatus.*
24. *Perfectus* (secuntur 3 versus vacui; in marg. est: *deletum*).
25. *Delire abolire delinire.*
26. *Anxitas tribulatio meror mestitia feralia erumna logubriae calamitas infelicitas miseria* (1 v. vacuus) *pusillanimitas* (1 v. vacuus).
27. *Pruius insolens rebus dirus lubricus peperizator aridurius indeclinabilis perplexus pertinax faccelius* (1 v. vacuus).
28. *Mare amfitritem equor fluctuosa estiosa uoraga.*
29. *Opem auxilium presidium adiutorium* (1 v. vacuus).
30. *Calix crater cymbio cyathus poculum.*
31. *Salet aemiciat hedulat.*
32. *Pugna bellum prgium duellum demicatio.*
33. *Errat buccuratur frustratur palerat erroneat.*
34. *Abundanter affatum.*
35. *Sanitas sospitas incolomitas ualitudo.*
36. *Herus dominus dominator.*
37. *Aduena proselytus incula ospis peregrinus alienigina exter altetribus exterinus extertinus.*
38. *Abortibat.*
39. *Immortalis intactus ambrosius immutabilis.*
40. *Remuneratio retributio reconpensatio.*
41. *Innocens insonus.*
42. *Filia gnata.*
43. *Vinculam lautumia nerua obscura atra tenebrosa lurida furba.*
44. *Magnus summus apex sublimis almus precipuus* (1 v. vacuus).
45. *Fraglat olet redolet.*
46. *Pallidus uiridus.*
47. *Offectus semianimus exsanguis semeuus.*

18. *duumvir*: cf. II 577, 47 | *arbiter* || 20. ex *magalia* et *mapalia* nata | *promptuarium* || 25. *Delere* *abolere* in quartam coniugationem transiit || 26. pro *Anxietas*? | *lugubria*? || 27. *Pravus* | *saevus* | cf. *lubricus fallax* | *peperizator* a πεπεριζειν? | *oridurius*, pro quo etiam *aridurius* exstare potuit | *perplex*? an *perlax* = *pellax*, pro quo non semel *perlax* legitur | cf. *factiosus fallax* *deceptor* || 28. *aestuosa* | *vorago* || 30. *cymbium* || 31. *Salit* | cf. II 60, 38: *emicat ἐξάλλεται προσηδὲ λαγχάνει* | *hedulat* | cf. *haedulat παγει* (ubi *παγει* gh) II 68, 8. An *haedulare* est *haedulorum* more *salire*? Ceterum ex latinograecis glossis haec synonyma saepius pendere videntur: cf. 18. 56. 115. 127. 143. 148. 156 || 32. *dimicatio* || 33. *vagatur*? | *palat*? cf. *palare errare* IV 266, 37 | cf. *erronei errantes*, unde videtur forma *erroneat* ficta esse || 34. *affatim* || 37. *incola hospes* | *alienigena*: cf. II 378, 2 | *exter aliae tribus externus exterrenus*? || 41. *insons* || 43. *Vincula* | cf. *nervus* | *furva* || 46. *luridus* || 47. *Affectus*? | *semivivus* ||

48. *Misce pota coae.*
49. *Negat apernet inficiatur.*
50. *Reuerentia substinentia.*
51. *Longe procul aeminus existetur uallum.*
52. *Vinus (tres v. vacui) temetum.*
53. *Valde nimis multum (secuntur 7 v. vacui).*
54. *Inspiciens brueus darnus . . temus (lac. 2 litterarum) nugax blateron stolidus (1 v. vacuus) demens aebeius.*
55. *Ambulauit abiit discessit profectus est perrexit comitatus est.*
56. *Dico enarro loquor gnaro geror affaro (sequitur novum lemma Spo et duo v. vacui).*
57. *Box trion.*
58. *Pantana defecta humida ruscida.*
59. *Prope comminus . . . mani (lacuna 2—3 litt.) fere contini accelerare.*
60. *Reddere retribuere remunerare reconpensare.*
61. *Incluserunt abstruserunt retruderunt.*
62. *Falsiloquax finctus strofarius infidus perlax.*
63. *Linanticus iners desiduus ignauus nifacunius.*
64. *Exiliatus extorris flamescens.*
65. *Potiora meliora utiliora saluariola (la pro ra corr.) salubriora saluber.*
66. *Subtilis ex . lis (lac. unius litt.) tenuis commis excessus inanis caducus.*
67. *Adhuc actenus.*
68. *Mansuete singillatim rare compositiue.*
69. *Renouat rudem.*
70. *Irascitur comminatur.*
71. *Sine timore intrepidus.*
72. *Inportauilem.*
73. *Insatiabilis avidus ambiguus.*
74. *Silentium sileuat.*
75. *Mouitio motio impetus.*
76. *Vigilia lacubratio.*
77. *Indiuiduae indiuisae inherctz.*
78. *Satiare reficere.*
79. *Floret uernet filositat.*
80. *Fundamenta moenia.*

48. *coae* obscurum || 49. *aspernit*? | *inficiatur* || 50. *suspicientia* || 51. *extra uallum*? || 54. *brutus* | *darnus* . . *temus* non expedio | *blatero* | = *ebis* = *hebes* || 56. *enarro* | cf. *gnarrat narrat διηγεται* II 34, 38 | *queror*? *garrio*? | *affaro* ex *affari* factum | *Spo* obscurum || 57. *obscura*: *bootes septentrio[n]*? *box* (= *boca*) *θηριον*? || 58. *Pantana* non intellego || 59. . . . *mani* non expedio | *continuo celere*? || 62. *perlax* = *pellax*; cf. 27 || 63. *Linanticus* non expedio: *Lunaticus*? | *infacundus*? || 64. *flamescens*] an *flammescens* = *torrens* a *torrendo*? *famescens*? || 65. *salutiora* || 66. *exilis* | *tenuis* | cf. *subtilis comis* IV 220, 27 | an *excaesus inanis caducus* novum exemplum sunt? || 67. *hactenus* || 68. *Mansuete* a *ceteris* separandum videtur || 69. *rudem facit*? || 73. *ambiguus* non expedio: an per se intellegendum? || 74. *silenta*? || 76. *lacubratio* || 77. *inertae* || 78. *Sarcire*? || 79. *vernat* | *floritat*? ||

81. *Spinæ dumis.*
82. *Inio ambio desidero opto cupio uolo.*
83. *Reparat disicat.*
84. *Discrede direme.*
85. *Timor trepidor.*
86. *Fnus cadauer corpus.*
87. *Controuersioso.*
88. *Arduum* (secuntur duo v. vacui).
89. *Ambiguum aceps duuinum perplexum obtectum* (secuntur 15 versus vacui: item tota quae sequitur columna vacua).
90. *Furiosus . . nax* (lacuna 2 litterarum; sequitur 1 versus vacuus) *abreptilius feruidus iracundus.*
91. *Gladium ensem telum mucronem sicut daculum.*
92. *Saltabunt histriabunt striniabunt.*
93. *Opinor* (1 v. vacuus) *spero* (4 v. vacui).
94. *Oliens amicus adalis.*
95. *Sacrificium olocaustum immulacionem munus hostiam delinotium flagitantia liuamina.*
96. *Perscrutans temptans.*
97. *Similem imitante instar equalise*
98. *Scutum clypeum.*
99. *Incessanter assidue crebro.*
100. *Curret transpilat.*
101. *Significauit protendit.*
102. *Tetiget accelerat.*
103. *Ferom puluinarium sepulchrum aggersia.*
104. *Dispersit dilaceuit dispalercuit describuit.*
105. *Fruges cerealia frumenta comea uictualia alimonia copia messaria.*
106. *Ruuuistrum flauum uirsum burrum rufum.*
107. *Maceria parietis murum.*
108. *Cereps uir sine muliere.*
109. *Sol titan feuus oriens eoa.*
110. *Iustus fas.*
111. *Permanentia seruitium pertulantiam.*
112. *Sacerdus uadus.*
113. *Pascha sollemnitas.*

81. *dumi* || 82. *Inio* || 83. *Separat desecat?* || 84. *Discerne dirime?* || 85. *trepidor* falso fictum || 86. *Funus* || 87. *excidit velut versutus*; cf. IV 295, 22 || 89. *anceps dubium* || 90. . . *nax* || *minax?* cf. IV 365, 12 | *arrepticus* || 91. *sicam capulum?* || 92. cf. *Saltatores histriones scenici* IV 388, 34: unde *histriabunt striniabunt* venisse videntur || 94. cf. *amicus sodalis* IV 308, 34 || 95. *holocaustum* | *immolationem* | *deuotum?* | *fluitantia?* | *liuamina* || 97. *imitantem* | *aequalis?* || 98. *clipeum* || 99. *assidue* || 100. *transsilit?* || 101 *portendit* || 102. *Tetiget et accelerat* lemmata sunt || 103. *Feralia?* | *aggeries?* cf. thes. gl. s. h. v. || 104. *dilaceravit?* | *dispalescui?* || 105. *commeatus* | *necessaria* || 106. *Robuistrum* pro *Robustum* falso cum *rufum* compositum | *byrrum burrum* || 107. *paries* || 108. *Caelebs* || 109. *Phoebus* | cf. II 62, 9 || 110. *Iustum?* || 111. *Permanentia* non expedit | *petulantiam* || 112. Obscura: *Sacerdos vates?* ||

114. *Fons . . . dus* (lacuna 2—3 litterarum).
115. *Meretrix anxicia scors luxoriosa baratha.*
116. *Ocultem clam.*
117. *Mala facina.*
118. *Fortuna fatus genium thymelia.*
119. *Lanterna fanarium* (1 v. *vacuus*).
120. *Porcus abros aper.*
121. *Ergo igitur immo sed denique.*
122. *Aquam ymfus latex lymfus licuor.*
123. *Ceruus alce* (1 vers. *vacuus*).
124. *Aeditiuus ornator templi aruspicus litix* (30 v. *vacui*).
125. *Quandum usque quod quousque* (2 v. *vacui*).
126. *Ouessus pinguis copulentus* (o ex u) . . . *tentus refectus plenus opimus* (duo v. *vacui*; man. saec. IX *aeditiuus* exercitationis causa, scripsit).
127. *Navis ratis hunter lintrum puphem carbasum scapharium naue* (1 v. *vacuus*).
128. *Cumparans emens nundinans* (duo v. *vacui*).
129. *Virga imperialis gestamen sceptrum.*
130. *Derisio subsannatio splodatio.*
131. *Augurium omen uexillum typum tropeum.*
132. *Ammogenitus iocunditas ilaritas.*
133. *Futura uentura posteriora.*
134. *Astra stillas sidere boete.*
135. *Furo baccator peculator.*
136. *Propheta roreus presagus presciens prouidus sagax uatis preuisor.*
137. *Adet nuncupat clanget tinnet.*
138. *Notrita alumna educata.*
139. *Quo inquinata poluta squalorosa sordida lubrica profana.*
140. *Collexio caterua glowus.*
- 1 1 *Pudicus subrius castus.*
142. *Prudens catus epicureus solers sagax astutus stoicus gnauus ardalius.*
143. *Latro grassator abigens.*
144. *Rixa disceptatio iurgium instigatio.*

114. *liquidus* (*ligidus*)? || 115. Cf. II 566, 34: *anxicia meretrix* (cf. ad 31) | *scortum* | *barathrum* || 116. *occultim* || 117. = *facinora* || 118. *fatus* = *fatum* | *genium* | cf. thes. gl. s. v. | *thymelia* non expedit: expectamus *τύχη* || 119. *fanarium* | cf. Italorum fanale; notabile est *fanarium* iam septimo saeculo extitisse || 120. *apros*? || 122. *nymfa latex lymfa liquor*? || 123. *alce* | cf. Solin. 20, 7 Mommsen || 124. *Aeditiuus* | = *haruspe* | cf. *litices* cornices *id est* cornu canentes || 125. *Quantum* || 126. *Obesus* | *corpulentus* | . . . *tentus* | *extentus* spatio non accommodatur | *refertus* || 127. *Navis* | *hunter* II 125, 17 in serie *lu* est | *lyntreum* *σκαφη* est II 432, 45 | *pupphem* || = *scapham* || 128. *Comparans* || 130. *splodatio* = *explosio* || 132. *Animositas*? || 134. *stellas sidera* | cf. thes. gl. sub *bootes* || 135. *Furit* *bacchatur* | *peculatur* est *furat* || 136. *roreus* non expedit | *vates* || 137. *adet* non expedit || 138. *Nutrita* || 139. *Coinquinata polluta* | *squalorosa* singulare est || 140. *Collectio* | *globus* || 141. *subrius* || 142. *sollers* | cf. *ardelio* *æutus* Mai VI 509 || 143. *abigeus*; cf. II 8, 33 ||

145. *Lesit me ignauit me.*
146. *Atrox impius.*
147. *Artatio angustia.*
148. *Balbus atubus.*
149. *Cerimoniam culturam.*
150. *Malificus certumus ariolus cincator maginus.*
151. *Cursitum sepius curro* (4 v. vacui in foramine).
152. *Glutto lorgor edax conponolatus.*
153. *Accerso accuso.*
154. *Altum terreatum.*
155. *Duricordius heuitus* (h s. sec.).
156. *Veterata prisca olitana etula anitia.*
157. *Deuulgo triumpho depublico.*
158. *Longum lateque ultro citroque cognitum est.*

145. *inpugnauit* Wessner || 148. *cf. battulus* et II 25, 39; 68, 22 || 150. *certumus* non expedio | *circlator?* *cf. cindator* γόνς | *magus?* || 151. *Cursito* || 152. *lurco* | *corpulentus?* || 153. *Accerso* || 154. *terreatum* non intellego: *turritum?* || 155. = *hebes?* *cf. 54* || 156. *cf. II 246, 27* | *vetula* | *anicla?* *anita?* || 158. *Longe* ||

Synonyma Harleiana posteriora mirum est cum prioribus nullo alio vinculo coniuncta esse nisi quod utroque loco bilingua glossaria adhibita videntur. Item a ceteris synonymorum collectionibus mirum quantum distant ac multa singularia exhibent, in his rara illa vocabula (cf. ad 31) quae e glossariis graecolatinis fluxerunt, quo in numero unum est, quod nisi ex glossis nominum omnino non novimus. Cetera modo cum Pseudophiloxeno conveniunt, ut illud *haedulat*, cuius tertium testimonium non exstat, modo cum Pseudocyrrillo, unde statuendum erit omnia ex eiusmodi aliquo codice esse derivanda, de quo p. 46 verba fecimus. Inter rariora vocabula etiam illud *alce* pono, quod in glossariis ceteroquin non inveni. Notabile porro est *lanterna fanarium*; *fanarium* pro *fanalium* vel *fanale* dicitur, unde discimus iam septimo saeculo hanc formam exstitisse. His addendae sunt formae aliquot vulgares, ut *stanter* pro *instante*, *splodatio*, *dispaesceuit*, *discribuit*, aliae. Haud pauca medelam etiamnunc expectant. Certe inter reliquas synonymorum collectiones nullam novi, quae cum hac iure comparari possit. Sed satis nunc de his disputavisse videor; frequentiora synonymorum vestigia in eis glossariis sunt, quae a libro glossarum pendent, in quem ingentem synonymorum copiam receptam esse iam supra monui.¹⁾

1) Cod. Bern. 858 fragmentum continet saeculi VIII (cf. catal. p. 347) ex literis O P Q R excerptum; pleraque glossemata synonymorum naturam prae se ferunt, ut <O>pacum fronduosum <u>mbrosum nemorosum, Praesagium profetia sive signum futurorum vel ostensum, Quies pax silentium somnum. Rariora non offendi.

CAPVT IX. DE DIFFERENTIIS

§ 25. Synonyma qui collegerunt eo id consilio fecerunt, ut scriptoribus praeberent unde altera voce pro altera posita orationem veste induerent varia et multiplicis coloris; de differentiis qui scripserunt, potius 'quibus notionibus vocabula inter se differant et quomodo eorum significatio primaria saepe usu obscurata ex ipsa origine sit cognoscenda' (Handii sunt verba) docere conantur. Quae disciplina apud Romanos Graecorum vestigia ingressos vetustissima est, siquidem fidem habemus eis quae Isidorus Hispalensis in praefatione libri de differentiis verborum exhibet: '*de his (scil. differentiis) apud Latinos Cato primus scripsit, ad cuius exemplum ipse paucissimas partim edidi partim ex auctorum libris deprompsi.*' Sed rectissime Otto Iahn in Act. Soc. litt. Sax. a. 1850 p. 271 et cum eo Beck libelli 'de differentiarum scriptoribus latinis' editi (Groningae a. 1883) p. 5 Catonem de hac disciplina quicquam scripsisse negaverunt, quamvis eum ad vim et usum synonymiae enixe animum attendisse exempla ab Isidoro allata et ex orationibus excerpta satis demonstrent. Quod genus litterarum multi cum grammatici tum rhetores aequali studio excoluerunt, quo in numero Aelius Stilo, Varro, Nigidius Figulus, Verrius Flaccus, alii commemorandi sunt. Haud pauca exempla ex vetustioribus fontibus Gellius attulit, maiorem molem Nonius libro quinto qui est 'de differentia similium significationum' partim Gellii copiis usus partim aliis veterum auctoribus; ac sane iam ante Nonium differentias colligi coeptas esse testis exstat Charisius p. 205, 16: '*illi qui de differentiis scribunt*', quae verba ex Iulio Romano fluxisse probabile est. Quin etiam novimus talem collectionem, siquidem et subscriptioni fidem habemus quae est post notissimam differentiarum collectionem codicis Montepessuiani H 306, inter Suetonii fragmenta positam (Reifferscheid p. 274 sqq., Roth p. 306—320): '*Explicit praescriptae verborum differentiae ex libro Suetoni Tranquillini qui inscribitur Pratum*' et huic inscriptioni: '*Incipiunt differentiae sermonum Remi Palaemonis ex libro Suetonii*'. Quae si fide digna sunt, Suetonius differentias Remmii Palaemonis (cf. '*glosae Palaemonis grammatici*' in catalogo Laureshamensi saec. IX, quas Manitius Mus. Rhen. t. XLVII <a. 1892> p. 44 haud male cum his differentiis contulit) in Prata recepit. Sed verum esse quod de Palaemone dicitur rectissime docti negarunt; nam illa inscriptio fluxisse videtur ex una differentia collectionis Handianae (v. p. 90) in eodem codice Montepessulano inscriptioni ipsi proxime praecedente hac: '*Palaemon oicetenus (= Vicetinus) insignis grammaticus romā habetur qui quondam interrogatus quid inter stillam et guttam interesset, gutta inquit stat, stilla*

cadit; quae verba ex Hieronymi chron. ad a. Abr. 2064 desumpta sunt. Contra in his differentiis legitur: *gutta imbrium est, stilla olei vel aceti*. Itaque cum subscriptio nihil habeat, quod ad Palaemonem pertineat, cum porro in ipsis differentiis aperta discrepantia sit ab eis quae Palaemoni expresse tribuuntur, illa inscriptio ficta esse ex verbis proxime praecedentibus merito dicitur (cf. Reifferscheid p. 450): Palaemonis igitur nomen removendum erit. Alia quaestio est de Suetonio. Totam enim collectionem ex duabus esse partibus conflata et rebus et ordine disparibus recte viderunt docti; posteriorem partem Suetonio tribuit Reifferscheid, priorem Beck (Arch. f. lat. Lex. VI p. 262), neutram Roth praef. p. XCVI sq. Certum unum est, scilicet illam subscriptionem non prorsus fictam esse posse; sed singularia quaedam si statuimus apud Suetonium exstitisse, haec traducta in collectionem uberiores effecisse, ut tota collectio Suetonio adsignaretur, libri Montepessulani testimonio satis fecisse videbimur. Nam multa exstare in hac farragine quae recentiores aetatem redolet ex eis quae viri docti protulerunt apertum est, alia quaedam vetustissima inesse non minus certum puto; de multis iudicium anceps erit.¹⁾

Praeter Palaemonem cum collectionibus nunc exstantibus etiam alii viri vetustissimi conectuntur, velut cui praescribitur in copiosissimo illo thesauro Montepessulano '*differentiae Probi Valerii*' (ed. Keil GR. L. IV 199 sqq. ex codicibus Montepessulano et Vindobonensi); quae collectio quomodo cum Probo cohaereat exposuit Carolus Barwick Herm. t. LIV (a. 1919) p. 421. Initium hoc est: *Inter austrum et ostrum hoc interest quod austrum ventum significat, ostrum vero purpuram esse demonstrat*. De quibus differentiis ad orthographiam inprimis pertinentibus cum sic iudicaverit Keil praef. p. XXX: 'quare siquid omnino nomini Probitribuendum est, in hoc quoque differentiarum libello quaedam ex libris Probi quibus posteriores grammaticos usos esse constat, excerpta esse putaverim, quae postea cum aliis observationibus ex consuetudine extremae aetatis profectis mixta sunt', ipse potius sententiae Beckii subscribo (p. 11) parum bonae frugis nihilque quod ad Berytium illum veterem velis referre inesse. Vt has differentias a Berytio abiudicavimus, ita Frontonis nomen immerito prae se fert collectio apud Keilium GR. L. VII p. 519 sqq. edita; ubi quae esse solet inscriptio: *Cornelii Frontonis de nominum verborumque differentiis*, eam non habet cod. Neapolitanus, cuius in indice capitulorum haec

1) Haec scripseram ante quam Wessneri disputatio de Isidoro (Herm. t. LII) edita est: ipse nihil nunc muto, sed quae Wessner de his et aliis quaestionibus ad differentias pertinentia p. 268 sqq. protulit, nemo negleget, qui Isidori differentias tractabit. Schmekelii somnia ultro abieceram.

leguntur: *incipiunt nunc plura secundum differentiam verborum et nominum* (cf. Keil Ip. XI). Celebre Frontonis nomen primus Ianus Parrhasius praefixit. "Sunt autem haec 'Frontonis' synonyma plane eiusdem indolis atque 'Probi' et 'Suetonii' differentiae; continent inutilium viliumque observationum copiam magnam pluraque quae ad novicios quam quae ad veteres probosque auctores redeant" (Beck p. 19). Certe ad Frontonem, quamvis hunc rhetorem talibus disquisitionibus operam dedisse constet, quod probabili ratione referatur non invenio. Anceps iudicium erit de Terentio, cuius nomen praemissum est differentiis nonnullis editis ab Hageno *Anecd. Helv.* p. CXXXIII: *Terentius de verbo tractans hanc differentiam dicit: Invoco in adiutorium, provoco ad iracundiam, voco ad honorem, evoco ad officium, revoco errantem, convoco simul* e. q. s. Vbi Terentium Scaurum dici Hagen putat, quamvis cum orthographicis Scauri quaestionibus haec nihil commune habeant; cf. quae idem Hagen p. CXXXIV exponit (qui simul de Terentio discipulo Prisciani cogitat). Quin etiam Ciceronis quaedam collectiones esse feruntur, velut hae: 1. *Differentiae similium orationis partium a Cicerone et ab aliis sapientibus viris in sensu et litteratura per alphabetum*, quas edidit eod. Montepessulano H 306 Beck de diff. script. p. 28 sqq. (de qua editione cf. Gundermann *Phil. Anz.* XVII p. 506). Prima differentia est: *Inter absconditum et absconsum: absconditum rationis est, absconsum consuetudinis*. 2. *Differentiae Ciceronis* quae dicuntur in cod. Bernensi 178, quas edidit Hagen *Anecd. Helv.* p. 275 sq. Initium hoc est: *Inter metum et timorem et pavorem hoc interest* e. q. s. Cuius collectionis similis ea est quam Beck de Sulpic. *Apoll.* p. 51 sqq. tractavit (cf. etiam Sittl *Arch. f. lat. Lex.* VI p. 595; nam quam sub IV adfert, cum his aliquo vinculo contineri probabile). 3. His adde impressa exemplaria quae indicavit Sittl p. 595 (II. *Cicero de dictionum proprietatibus iuxta alphabeti ordinem* et III: *Cicero de proprietatibus terminorum iuxta ordinem alphabeti*). Quod illustre Ciceronis nomen his differentiis praemissum est, per se non mirum videatur, cum Nonius, ut uno teste utar, permulta exempla imprimis Ciceronis exemplis illustret. Sed probabilior certe in cod. Bernensi 178 alia est explicatio: inscriptionem ex eis quae praecedit synonymis 'Ciceronis' fictam esse. Cf. Hagen p. CXX, Goetz 'Berl. ph. W.' a. 1890 p. 196. In codice Montepessulano nescio an exemplorum ex Cicerone adhibitorum recordatio subsit. His submitto collectionem uberrimam apud Arev. V p. 1 ff. (cf. nunc Manitium p. 68) novissimum editam Isidori, qui in praefatione se ad Catonis exemplum ipsum paucissimas partim edidisse differentias, partim ex auctorum libris deprompsisse dicit; nempe edidit ab ipso collectas, deprompsit ex auctoribus ab aliis praeparatas. Quae

differentiae in duas discedunt partes: aut differentiae verborum sunt ad alphabeti ordinem prolatae (incipiunt sic: *Inter aptum et utile: aptum ad tempus, utile ad perpetuum*), de quibus solis hic agimus, aut differentiae rerum (differentiae dogmaticorum terminorum, ut *trinitatis* et *unitatis*, aliorum). Differentiae autem verborum cum eis collectionibus, quibus hodie utimur, in universum coniunctae videntur artissimo vinculo; nec illud neglegendum, quod Isidorus saepe ex eisdem fontibus vel excerptis hausit in hoc libello quibus multas Etymologiarum differentias debet. Inter eos autem scriptores quos adhibuit est Agroecius, cuius multos locos transcripsit (cf. 16, 19, 21, 24, 25, 28, 29, 30, 31; hos et alios locos iam adnotavit Pantinus apud Arevalum). Porro haud paucas differentias ex Servii commentario et genuini et Danielis quem Donati esse vult Lammert (de Hieronymo Donati discipulo a. 1912) derivavit; cf. eiusdem Pantini adnotationes ad 34, 38, 48, 62, 76, alias multas. Sed ne ceterae quidem collectiones neglegendae esse videntur, quarum locos modo auxit modo contraxit. Isidori copiae cum in librum glossarum traductae sint, eius vestigia in glossariis e libro glossarum ductis frequentissima esse moneo. His quas tractavi differentiis accedit collectio anonyma¹), cuius primum exemplum est '*inter polliceri et promittere*', e tribus inprimis recensionibus nobis nota; prima est apud Arevalum, ut vetustiores editiones Dubrevilii et Gothofredi silentio praeteream, VII. voluminis p. 426 sqq. (cf. nunc historiam criticam diligentissime scriptam quam dedit A. Macé, de emendando differentiarum libro qui inscribitur de proprietate sermonum et Isidori Hispalensis esse fertur, Rennes 1900); alteram proposuit Putschius G.R. L. p. 2203 sqq. (e codice Bernensi 330); tertiam Hand in ind. len. a. 1848 (quae sic incipit: *Inter auxilium et praesidium et subsidium hoc interest* e. q. s.). Agmen claudant differentiae miscellae quas Widmann edidit in Fleckeiseni Ann. a. 1883 p. 649 sqq. (cf. Beck ibid. a. 1885 p. 639 sqq.), et eae quae in magno libro glossarum insunt (cf. Hagen l. s. s. p. CXXIV sqq. et Goetz der liber glossarum p. 216).

Iam vero de differentiarum ratione ut agamus, tria verborum genera sunt et similitudine quadam et discrepantia notabilium; aut in significatione similitudo est posita discrepante forma, ut *polliceri* et *promittere*, *aptum* et *utile*, *amor* et *cupido*, quod genus praeter cetera Nonius

1) Cf. de his differentiis quae Carolus Pascal exposuit (Letteratura latina medievale, Catania 1909 p. 177—188). Ex libro Vaticano reg. 310 saec. X esse inscriptionem hanc: *de proprietate sermonum vel rerum*, ex Ambros. I I sup. saec. IX hanc: *de proprietate nominum vel rerum* adnotavit Manitius p. 69; cf. Pascal p. 188 sq.

tractavit; aut similitudo in forma est discrepante significatione, ut *lupus* et *lepus*, *proprius* et *propius*, *austrum* et *ostrum*, *avenam* et *habenam*, *aes* et *es* (ab *esse*); talia rarius habent vetustiores, ut Nonius, cum maior pars e scriptoribus de orthographia fluxerit, frequentiora sunt in recentioribus tractatibus, ut apud Isidorum; aut denique similitudo et in forma posita est et in significatione, ut sunt *arbor* et *arbos*, *meret* et *meretur*, *amplectitur* et *amplexatur*, *pometum* et *pomarium*, *eligo* et *seligo*, *annuit* et *abnuat*, alia huiusmodi, qualia etiam Nonius multa habet. Qui talia composuerunt, non semel ad elementorum ordinem digresserunt, unde factum est, ut ab eis exciperentur et truncarentur, qui glossaria condiderunt. Iam si sequimur Beckium p. 24, 'inter Agroe-cium et Isidorum ..., hoc est in confinio saeculi V et VI, aliquis exstiterit oportet qui omnes quotquot congerere potuit inde ab antiquissimis usque ad Servium differentias in unum cogeret, abbrevians nimirum explicationes et plerumque exemplorum copiam apud veteres auctores obviam recidens, multa etiam de suo adiciens'. Quo differentiarum thesauro usi sunt, qui collectiones anonymas de quibus egimus confecerunt. Quam Beckii coniecturam ut olim reieci ('der lib. gloss.' p. 216), ita ne nunc quidem ut probarem a me impetrare potui; immo scholarum in usum tales tractatus ita scripti sunt, ut vetustiores collectiones magis minusve pro fundamento haberentur, contraherentur, augerentur, contaminarentur. Editionem Beckii dudum promissam etiam nunc exspectamus.

§ 26. Appendicis instar adnotatiunculas quasdam quae sunt de vocibus animalium cum differentiis ratione quadam coniunctis nec semel in glossaria illatis huic capitulo annectere liceat. Voces animalium apud Latinos — nam Graecorum similes tractatus nunc non respiciam — praeter Varronem (de l. lat. p. 120, 10—121, 11) inprimis Suetonius collegit, ex cuius libro fragmentum maius ad hanc rem pertinens Hugucio videtur servavisse (cf. Reifferscheid p. 247 sqq. et Quaest. p. 449 sqq.). Suetonium excepit quinto saeculo Polemius Silvius, cuius voces animalium conspirant cum eis quas ex glossariis quibusdam novimus, velut e cod. Leidensi de quibus cf. Loewe Gl. N. p. 248. Eodem pertinet cod. Parisinus lat. 1750 in fol. 143^r saec. X exeuntis: *Vocis variae animantium. Ovis bobat. Canis latrat. Lupus ululat. Sus grunnit. Bos mugit. Equus hinnit. Asinus rudit. Vrsus saeuat. Leo fremit. Elephas barrit. Coruus croccit. Merulus frindit. Turdus truculat. Anser sclingit. Grus gruit. Miluus linugit. Apis bobit. Turtur gemit. Rana coaxat. Hirundo minurrit. Populus strepit. Ignis crepitat. Cursus aquarum mormorat. Ferum stridet. Aes tinnit. EXPLCT.* Quocum in universum congruit cod. Oxoniensis Bodl. Digb. 151, nisi quod ordine differt: *Ovis balat. Leo fremit. Canis latrat. Grus gruit. Elephas*

barrit. Sus grūmit. Asinus rudit. Anser sclingit. Bos mugit. Miluus miluit. Equus hinnit. Coruus croccit. Lupus ululat. Merula fringit. Ursus seuit. Turdus trutilat. Turtur gemit. Hirundo minurrit. Rana coaxat.

Populus equitat. Ferrum stridet. Ignis crepitat. Apis boat. Cursus aq̄ murmurat. Es tinnit. Aliam harum vocum recensionem exhibet liber glossarum, scilicet hanc (ex codice Parisino): 'nam uocem tam mutorum animalium quam hominum est esse declarantes sic efferunt: aquilas clangere, accipitres plipiare, uultures pulpore, coruos craxare uel crocitare, miluos lupire uel iugere, olores drensare, grues gruere, ciconias glottolare, anseres gliccire uel sclingere, pauones paupula (sic!), gallos cucurrere uel cantare, anates tetrissitare, turtures gemere, palumbes paucitare, perdices caccabare, grabulos fringulire, noctuas caccubire, merulos frindire uel zinzicare, turdos trucilare uel soccitare, sturnos passitare, hirundines minurrire, passeret tittiare, apes bobire uel bombilare, cicadas frittinire. Feras etiam proprias uoces habere ita pronuntiant: Leones fremere, tigrides rachara, pardos felire, panteras caurire, uersos uncare uel seuire, apros frendere, lince urcare, lupos ululare, serpentes sibilare, elephantos uarrire, onagros magilare, ceruos rugire, tauros mugre, equos innire, asinos rudere, porcos grunnire, uerres quirritare, arietes lorettare, oues balare, hircos miccire, edos uebrare, canes latrare, uulpes gannire, catulos glattire, lepores uagire, mustelas drinorare, mures mintare, sorices desticare, ranas rabire uel coazare. Ex libro glossarum pendet Papias, cuius recensionem exhibet Reifferscheidius praef. p. XI. Ex eodem libro glossarum hausit scriptor codicis Londinensis mus. Brit. 'old Kings mss.' 13 CIV saec. XIV in fol. 213^r; item cod. Parisinus 7588 saec. XIII fol. XIII^{sq}.; item 6810 saec. X fol. 48^r B. — Tertiam porro recensionem continet Aldhelmus de re gramm. et metrica (Mai Auct. cl. V p. 569 sq. Reifferscheid p. 248 sq., ed. Ehwald p. 179; cf. Manitius Gesch. d. L. L. des Mittelalt. I 137; 'Wiener Sitzungsber.' 1886 p. 606 sqq.); quacum comparandus cod. Londinensis Mus. Brit. (bibl. Reg. cod. 15 B XIX) in fol. 86^a saec. IX/X: *DE GENERIBVS VOCVM. Apes abizant uel bambizant. Aquilae clangunt. Anseres crinciunt uel trinuunt. Aues minuriunt siue ūnicant uel uernant. Accipitres pipant. Anetes teretizant. Arietes crissitant uel glaterant. Apri frendunt. Asini ūncant uel rīdijunt. Arma crepant. Aes tinni. Afora profusa bilibit (add. m. s. XVI Barrus barrit). Boues mugiunt (add. m. s. XVI Cameli blaterant). Cornices butant (add. m. saec. XVI Cuculi cuculant). Cigni dessistant. Cycadae fretinniunt. Cincinae (ex Coc.) cratalant et grotālant (et s. scr. uel critalant) uel cracci ||| ||| ||| ||| tant. Corui crocciant uel croccant. Capri mictiunt. Canes balibant uel latrant siue ganniunt. Catuli gratilant. Cerui ruguunt. Citharae sonant.*

*Canis uenetica nictit. Elephanti brariunt. Equi hinnunt uel grugulant. Gallinae cacinant uel gurguriunt. Calue fringilliunt. Craculi grinciunt. Herōndines trissistant uel trissant. Hyenae hirriunt. Hedi balant uel belant. Infantes uagiunt uel u///uahunt. Leones fremunt. Linceus hircant. Lepores uagitant. Lupi hululant. Littera murmurant. Milui uigiunt uel uigilant uel lu***. Merulę einzilant. Mustelae drindrant. Mures mitriunt uel muniunt. Noc-tuae cucubiunt. Olores drensitant. Oues balant. Onagri uagillant. Palumbes runcitant. Passeres titiant uel parri///tinnipant (erasa n; ultimae nt evanuerunt). Pau paululant. Perdices cacabunt. Pulli pipinant (uel per-pinant s. scr. m 1). Panterae chanriunt. Pardi peliunt. Porcelli grun-niunt (Porci grundiunt adscripsit m. 1). Ranae coxaxant. Sturni parsit-ant. Surices deditant. Serpentes sibilant. Siluę strepunt. Turdi socitant uel facillant (infra add. m. 1: Tauri mugiunt). Vultures pianbant. Venti flant et tremunt. sibilant. Vrsi urgunt uel seuiant. Verres quintant. Vulpes eiulant. Homines loquntur. Rustici iubilant. † Tigrides bracant. Tubę clangunt (signum † indicat non suo loco haec esse posita). Haec genera uocum non ad uocum sonoritatem tantum pertinent quam discretionis grā prolata sunt. — Similia insunt in cod. Cantabrigiensi (univ. libr.) L I I 14 saec. XIV, item in cod. Matritensi bibl. nat. A 16, sed multis corruptelis inquinata, quas nolo repetere.*

Haec habui quae de vocibus animalium proferrem, quamquam totam hanc quaestionem exhaustire neque volui neque potui: sed quae a me adnotata essent ab hac praefatione prorsus excludi aut perire nolui.

CAPVT X. DE SCHOLIIS ET TRACTATIBVS GRAMMATICIS

§ 27. De fontibus glossariorum qui quaerere sibi proposuerint, ni-mirum scholia vetera, quippe ex quibus haud leuissimam materiae glossematicae partem fluxisse constet, non praeteribunt. Quis enim est qui nesciat — uno ut utar exemplo — quot glossae doctiores ex Servii commentariis provenerint cum genuinis (cf. *Acidalia*, *Aconita*, *Acta*, *Adamas*, *Aganippe*, *Aminea*, *Amomum*, *Amphion*, *Amsancti*, *Ancora*, *Annuo*, *Arbustum*, *Ardens*, *Atridae*, *Axis*) tum Danielis quae dicuntur (cf. *Agitator*, *Amera*, *Vannus*), quarum magnum numerum in Thesau-ro glossarum emendatarum indicavi? Quae per quos rivulos mearint antequam glossariis sint insertae quo saepius dubitabis, eo acceptiora nobis erunt opuscula quaedam ex vetustate propagata quae doceant, ta-lis transitus quomodo certe potuerit evenire. Qualia opuscula in tres classes describi possunt. Ac prima quidem scholia amplectitur quae forma non mutata sublata et in ordinem litterarum aliquem redacta sunt. Cuius classis luculentissimum specimen excerpta praebent ex